DISSERTATIONEM HERMENEVTICO-CRITICAM

DE

POETICA VI

QVAM

SPIRANT SERMONES CHRISTI ET APOSTOLORVM,

CVIVS PARTICVLAM I.

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE VIMARIENSIVM ET ISENACENSIVM PRINCIPE LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE REL.

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO FACVLTATE LEGENDI

A. D. XIII MARTII A. MDCCCXV.

PVBLICE DEFENDIT,

EMENDATAM ET ADIECTA ALTERA PARTE AVCTAM DENVO EDIDIT

AVCTOR

ERNESTVS THEODORVS PAZIG

PHILOSOPHIAE DOCTOR

SOCIET. LAT. DVCALIS SODALIS ET CANDIDATVS REV. MINISTERII ALTENBVRG.

IENAE

IMPENSIS LIBRARIAE CROEKERIANAE.

1815

DE
POETICA VI,
QVAM
SPIRANT SERMONES CHRISTI
ET
APOSTOLORVM,

DISSERIT

IN

HOC LIBELLO

ERNEST. THEOD. PAZIG

PHILOSOPHIAE DOCTOR

ET LAT. SOCIETAT. ARCHI-DVCALIS, QVAE IENAE FLORET, SODALIS,
ITEM REV. SACR. MINIST. ALTENBVRG. CANDIDAT.

IENAE

IMPENSIS LIBRARIAE CROEKERIANAE

cIↃIↃCCCXVI.

VIRO

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO

IOANNI LIBERO BARONI DE WERTHERN

SERENISSIMI SAXONIAE DVCIS VIMAR. ET ISENAC. PRINCIPIS CVBICVLI PRAEFECTO, DYNASTAE WIEHAE, DONNDORPII, BACHERAE, LOSSAE, ALLERSTADII RELIQ.

HVNC

LIBELLVM EMENDATVM ET ADIECTA ALTERA PARTE AVCTVM,

VT

VERAE OBSERVANTIAE ET DEDITISSIMI ANIMI MONVMENTVM EXSTARET,

INSCRIPSIT

ERNEST. THEOD. PAZIG.

VIR
GENEROSISSIME ET ILLVSTRISISSIME,

Diu ſane dubitavi, deberemne, cum hanc qualemcunque diſſertationem emendatam et adjecta altera parte auctam denuo divulgare mihi animus eſſet, TIBI eam potiſſimum inſcribere. Cum enim mihi TVAE clariſſimae gentis nobilitatem ſummamque TVI IPSIVS dignitatem ante oculos proponerem, non ſatis modeſte facturus videbar, ſi huic tenui libello et ignobili, TVVM, VIR ILLVSTRISSIME, pernobile nomen praefigendum curarem. Quid? quod mihi de hac re cogitanti nonnunquam adeo metus haud mediocris objiciebatur, ne propter hanc exiguam diſſertationem TIBI inſcriptam mihi ſuccenſeres. Qui vero metus mox meo ex animo ejectus ſcrupulusque in eo inſidens exemtus eſt, ſimulac TVAM eximiam humanitatem et indulgentiam, qua omnium animos TIBI devincire ſoles, in memoriam revocaveram. Quam enim humanitatem TVAM inſignem nuper in excipiendo me comiter et peramanter crebro expertus ſum, eandem nullum grati erga TE et ſubmiſſi animi teſtimonium ſpernere, quod etſiamſi puſillum, tamen ex vera animi pietate nec fucata erga TE obſervantia profectum TIBI obferatur, cum mihi non poſſem non perſua-

dere; nihil erat, quod vererer, ne hoc qualecunque opusculum in lucem emissum a me TIBI potissimum inscribi indignareris. His omnibus adcuratius reputatis, a consilio, TIBI in praefatione hujus libelli aliquam meae erga TE observantiae significationem exhibendi, ab eo inde tempore, quo mihi, TE, VIR GENEROSISSIME, de facie nosse contigit, mecum agitato tandem non destiti. Fretus igitur uno verbo TVI ingenii animique excellentia, quae nihil temere contemnat, quod incremento vel minutissimo ingenuarum literarum bonarumque artium studia adaugeat, spero, fore, ut benevole de his primitiis mei exigui ingenii judices. Nihil denique magis habeo in votis, quam ut in posterum eadem indulgentia, qua me prosequi nuper dignatus es, me amplectaris egoque TVO patrocinio gloriari possim,

TVI NOMINIS

ILLVSTRISSIMI ET GENEROSISSIMI

observantissimus cultor

Ernest. Theod. Pazig.

PRAEFATIO
PARTICVLAE PRIMAE.

Quum multa praeclare a majoribus noſtris inſtituta ſunt, tum illud ſapienter praeceptum, quod viris literarum ſtudio deditis, qui perſonam publici doctoris, in academia ſuſtinere vellent, munus, diſſertationem de quavis ſententia exaratam ad publicam diſceptationem proponendi, injungendum eſſe cenſuerunt. Nam quantum ejusmodi *) controverſiae publice inſtitutae ad ingenium acuendum et judicium limandum valeant, quis eſt, qui neſciat? Quod igitur officium mihi aperiendarum ſcholarum humaniſſime petenti veniam ſupremi academici Senatus auctoritate in arenam deſcendendi impoſitum eſt, ei ut ne deſim tanto lubentius elaboro, quanto certius praevideo mente, fore, ut uberrimos inde percipiam fructus. Itaque deliberanti mihi, de quo potiſſimum argumento publice diſ-

*) Hac de re Panegyricum honori et memoriae illuſtriſſ. lib. Bar. DE ZIEGESAR a viro perilluſtri. et celebratiſſ. EICHSTADIO ab intim. aul. Vim. conſ. exaratum magno cum fructu legendum eſſe cenſeo. Evol. pag. 16 et 17.

ſererem; nihil viſum eſt vel Veſtrae, Viri Perilluſtres et Clariſſimi, gravitati, vel meae utilitati convenientius, quam ſi dicerem de re quadam ad theologiam ſpectante, quae nondum a multis pertractata et tanquam trutina examinata eſſet. Cum vero ſubverendum ſit, ne hic libellus a me in lucem editus Veſtra adprobatione careat, non poſſum, quin Vos humaniſſimis adeam precibus, ut pro Veſtro erga me ſtudio aliquid ingenii mei, quod, ſentio, quam ſit exiguum, imbecillitati et juvenili detis infantiae. Quid autem, quaeſo, me metus invadit, ne graviter Vos in me invehamini? Nonne compertum habeo, omnem judicii laudem Vos minime in vituperandis aliis poſitam eſſe arbitrari? Non ſpero igitur, ſed confido, fore, ut, finito colloquio, palam profitear: Utinam ſaepius Vobiscum, Viri ſumme Venerabiles, diſputarem! Quam multa, quae Vobis exciduut, ſollicite captarem et ſublegerem! Quanto doctior ſemper a Vobis diſcederem! Quod quando non datur: at Vos eodem, quo ſemper me amplecti ſolebatis, favore in poſterum me proſequamini. Haec habui dicere praefando.

Etsi scribendi genus, quo viri divini in libris N. T. usi sunt, a graeca sinceritate et elegantia longe recedit et diligentius hebraicae dictionis conservat indolem: minime tamen ei orationis gravitatem, efficaciam, immo poëticam quandam vim, quae animos legentium graviter commoveat intimosque eorum sensus et cogitationes pertentet, abjudicandam esse, usu edocti cognovimus. Attamen vero multi sunt, qui sermonem ab Apostolis in N. T. usurpatum temere contemnant, quippe qui tenuis sit, mancus, neque accommodatus ad exprimendum Jesu exemplar omnibus, ut ajunt, virtutis numeris absolutum, nec conveniens dignitati omnino christianae religionis. Quid? quod nonnulli eo procedunt perversitatis, ut dicant, tantum abesse, ut oratio in libris sacris adhibita efficacia et poëtica vi gaudeat, ut animos legentium taedio adficiat, quin, iis veritatem nostrae religionis in suspicionem adducens, pungentem injiciat scrupulum. Praestantiam sermonis sacri quisquis hac ratione impugnaverit: fieri non potest, quin suum potius ingenium sequutus fuisse, quam indolem antiquitatis omnino et

ſingulatim mentem ſacrorum N. T. ſcriptorum percepiſſe, ideoque monumentorum hiſtoricorum interpretis perſonam non recte ſuſtinuiſſe, dicatur. Si ſaepius homines, qui ejusmodi ſententias de ſacra N. T. oratione ferunt, ſcripturam ſacram legerent, eamque legentes, ad minima quaevis animum acriter attenderent: faterentur profecto, in maximis providentiae divinae beneficiis ponendum eſſe hoc, quod ſervaverit omnia a legatis divinis opera exarata, quorum quovis aegre careremus, quod ſingulis quibusque multa continentur, quae, quoad divinarum rerum intelligentiam, caliginem a noſtris animis tanquam ab oculis diſpellant. Satis ingenioſe de lectione ſacrorum librorum recte inſtituenda Chryſoſtomus ſcripſit; τοὺς μέλλοντάς τι, ait, παρὰ τῶν ἀναγινωσκομένων καρποῦσθαι, οὐδὲ τὸ μικρὸν τῶν λεγομένων παρατρέχειν δεῖ —, ἐπειδὴ δοκεῖ τὰ πολλὰ καὶ τοιγε αὐτόθεν ὄντα εὔκολα πολλὴν ἐν τῷ βάθει διάνοιαν ἔχειν ἀποκεκρυμμένην. Utinam, quod Chryſoſtomus *) hoc loco iis praecipit, qui cum fructu legere velint N. T., id omnes chriſtianae religioni addicti obſervarent!

Etenim eorum ſententia, qui ſcribendi genus in libris N. T. obvium opinantur jejunum et ſiccum eſſe, omnibus argumentis deſtituta ita claudicat et vacillat, ut aegre abſtineam, quin eos vehementer vituperem. Quae vero ſententia quo latius mirum quantum! diffuſa eſt, eo magis theologis in eo elaborandum eſſe cenſeo, ut poëticum

*) In Joannem Homil. LVI. ſtatim ab initio.

sensum, qui inprimis orationibus et vaticiniis Christi et Apostolorum inest, eruant et adjumenta commendent nonnulla, quibus uti debeant, qui forsan literarum imperiti indagere velint illam poëticam Apostolorum indolem, in N. T. latentem. Mirum sane nobis videtur, quid sit, quod interpretes librorum sacrorum sagacissimi et prorsus egregia doctrina conspicui, qui omnes ita de eorum praestantia disserunt, ut nusquam omnino, quam, cum de ea dicere ingressi sunt, facundiores esse videantur, nullam fere illius indolis mentionem injecerint. Duo tantum clarissimi viri, KOSEGARTEN et KRUMMACHER, adhuc prodierunt, *) qui fusius de hac re gravissima exponerent et faterentur, scripturam sacram verborum granditate et sententiarum pondere et gravitate ita eminere, ut lectione nullius libri et veteris et novi tantopere humanus animus oblectari, commoveri et incendi possit, quam narrationibus Apostolorum de Christi factis et dictis. Quae sententia tam praeclaris argumentis innixa est, ut, quod probabiliter contra dicatur, nihil omnino restet. Etsi igitur, quam magni viri jam pertractarunt materiem, de eadem prolixius disserere arduum est, difficilius certe, quam, ut a meis viribus praestari possit, tamen animi impetui, de re, in quam,

---

*) KOSEGARTEN de poëtica vi et indole Apostolorum et Christi diss. edit. Rigae 1789.

KRUMMACHER *Ueber den Geist und die Form der evangelischen Geschichte in historischer und ästhetischer Hinsicht.* *Leipzig*, 1805.

quotiescunque sacros libros legi, singulari prorsus amore ferebar, dicendi, data occasione, non diutius resistere possum. Itaque dicturus sum:

De poëtica vi, quam spirant sermones Christi et Apostolorum.

Erit nostra de hac re disputatio bipartita:

Primo quidem paucis ostendemus, quam poëseos veteris omnino et inprimis efficaciae, quae illis sermonibus inest, poëticae esse indolem atque naturam putemus; *deinde* poëticam eam vim esse maximi momenti ac ponderis, probabimus argumentis idoneis.

Haud tamen nobis animus est, argumentum, quod latissime patet et infinita rerum copia paene refertum est, plane perscribere, cum id nec temporis aut loci hujus, nec nostrae sit imbecillitatis. Juvabit, primas veluti lineas duxisse, quae observatione, actione et usu facile possint perfici. Videamus igitur, ut propositum est, primo quidem indolem ac naturam efficaciae poëticae omnino de qua hic agitur, ut intelligatur, multos sermones Christi et Apostolorum optimo jure poëticos esse adpellandos.

Exordiri liceat a judicio, quod veteres de poëseos vi ac natura tulerunt, nostrae sententiae accommodando. Omnem artem poëticam illi imitatione contineri, satis recte autumabant. Quam sententiam potissimum amplexi sunt

Graeci, *) qui, quemadmodum omnis elegantis doctrinae tractatione, ita quoque nativa quadam carminum pangendorum facultate, longe ſuper caeteros eminuerunt. Quidquid autem ſit, ſive veram judicaveris eſſe illorum ſententiam, ſive vanam, ſive incertam, ſive arctioribus ſaltem finibus circumſcribendam, de quo nunc non quaerere attinet: adcuratius tamen in hanc rem inquirere conſentaneum eſt. Etenim luculenter inde adparebit, quid de indole ac dignitate hebraicae poëſeos omnino et inprimis illius, quam ſermonibus Chriſti et Apoſtolorum ineſſe dicamus, ſit ſtatuendum.

Poëtis quamquam hoc praecipue datum eſt, ut oratione utantur imaginum evidentia ſplendida, acri et concitata, quae profecta ex animi inflammatione, rebus omnibus, quae noſtris ſubjectae ſunt oculis, adfingat vocem, actus, conſilia et commotiones: ſemper tamen eos ſedulo cavere, ne quid ipſorum carminibus inſit, quod ab ingenuo naturae ſenſu haberi poſſit alienum, quis eſt, qui ne-

*) Vid. Ariſtotelis librum de poëtica, inprimis cap. IV., ubi a ſtudio imitandi, quo a teneris omnes ducimur, poëticam, contendit, originem traxiſſe. Itaque ſatis ingenioſe atque eleganter Plato lib. III. de republica pag. 617. ed. Fic. poëtam adpellat: ἄνδρα δυνάμενον ὑπὸ σοφίας παντοδαπὸν γίγνεσθαι καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα. A philoſophis recentioribus vero rectius eſt explicata poëticae imitationis natura; vid. ut alios mittam. SVLZERVM in opere doctiſſimo: *Allgemeine Theorie der ſchönen Künſte: Art. Dichtkunſt, Nachahmung.*

get? Nonne *) Homeri, Sophoclis, Euripidis, Aeſchyli, Pindari, Theocriti, aliorum, e Graecis; Horatii, Maronis, Ovidii, Terentii, aliorum, e Latinis, immo Oſſiani, quamquam in gente barbara et inculta inclareſcentis, vis et animi incitatio legentium animos ad ſe rapit et vehementer concutit, quoniam ſemper naturam ducem ſequuta eſt?

---

*) Conf. Iliad. XI. v. 557, ubi comparatio ab auctore adhibita teſtatur, ipſum nimis nonnunquam imitandae naturae ſtudioſum fuiſſe. Hi verſus Homerici ita ſonant:

Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
Νωθὴς ᾧ τε πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη,
Κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες
Τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τι νηπίη αὐτῶν
Σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεὶ τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.
Ὣς τοτ' ἔπει τ' Αἴαντα μέγαν Τελαμώνιον υἱὸν
Τρῶες ὑπέρθυμοι τηλέκλειτοί τ' επίκουροι
Νύσσοντες ξυστοῖσι μέσον σάκος, αἰὲν ἕποντο.
Αἴας δ' ἄλλοτε μὲν μνησάσκετο θούριδος ἀλκῆς
Αὖτις ὑποστρεφθεὶς καὶ ἐρητύσασκε φάλαγγας
Τρώων ἱπποδάμων ὁτὲ δὲ τρωπάσκετο φεύγειν.
Πάντας δὲ προέεργε θοὰς — — — —

Admodum audacter confert h. l. Homerus Ajacem cum aſino quodam in agro frumentario ſpicas carpente. Ut aſinus in agro frumentarias tondens ſpicas, ait, etſi a pueris verberibus crebris exagitatur, tamen non niſi ſaturatus et bene paſtus inde recedit, ita quoque Ajax Telamonius, etiamſi hoſtibus undique circumfuſus vix fatum effugere poterat, tamen non niſi lento greſſu e concurſu pugnaque feruente ſe recepit. Multa ejus modi verſus inveniuntur in libro Iliad. VIII, IX, XXII. Odyſſ. XI, IV, VII, XIII, lib. etc.

Omnes ſane poëtae ingenioſi divinoque *) adflatu agitati et perculſi ſemper ea cecinerunt, quae cum ob orationis veneres et metri quoddam artificium probarentur, tum conſentirent cum vitae uſu, moribus, inſtitutis et ritibus reipublicae, in qua vivebant. Heroum imagines ab Homero et Marone ad naturae exemplar expreſſae, quis eſt, cui non placeant? Quis non delectatur lectione operum a Terentio multisque recentioribus, qui in eo genere excelluerunt, conſcriptorum, quoniam in iis ne pars quidem ulla vitae domeſticae manſit intacta? Non igitur mirandum eſt, his viris contingere ſolere hoc, ut ab omnibus, qui non plane hebetes ſunt et elegantiae ſenſus expertes, plauſu excipiantur eorumque celebrentur nomina. Quare, quamquam veterum carmina multa habent, quae a noſtris moribus prorſus abhorreant, tamen ea nunquam immoritura eſſe, mihi habeo perſuaſiſſimum. Haud vano augurio vaticinatus eſt Flaccus:

*) Conf. Cicero pro Archia poëta cap. 8. Erat enim haec apud veteres pervulgata opinio, poëtas furore divinitus immiſſo correptos canere. Unde Plato poëtam etiam adpellat ἄνδρα ἱερὸν καὶ θαυμαστὸν, qui ſit colendus ac dimittendus honorifice, ut dicit de rep. Lib. III. p. 617. In Phaedro p. 1234. furoris et inſpirationis divinae quatuor genera, conſtituit et μαντικὴν ἐπίπνοιαν Apollini, τελεστικὴν Baccho, ποιητικὴν Muſis ἐρωτικὴν denique Veneri et Amori tribuit. His vocabulis Platonis vero non malum, quem proprie habent, ſubjicimus ſenſum, ſed noſtrae ſententiae accommodatum. Longinus autem in aureo libro, περὶ ὕψους ſect. XXXIII. pag. 184. et foll. δαιμονίου πνεύματος ὁρμὴν poëtis tribuit.

— monumentum aere perennius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum. *)

Ab hac igitur ratione, quam natura praeit, qui phantasiae ludibriis deceptus deflexerat, is monstra pariebat horrida, quae etiamsi non aetate, qua scribebantur, tamen sequente tempore in oblivionem veniebant. Argumento est ingens eluvies versiculorum, fabularum Milesiarum aliorumque ex hoc genere librorum, qui vix in lucem editi, in manibus nostratium quidem teruntur, sed, simulac novitatis gratiam exuerunt, crepundiorum instar projiciuntur et obsolescere et in aeterno situ solent jacere. Nam ab humano animo prorsus alienum est, e tumida oratione et amatorio cultu saepius vitiosa, quam ejusmodi libri habent, voluptatem concipere et motum. Ex his igitur breviter expositis satis elucet, Aristotelem haud perpe-

*) Odar. I. III. od. 3, 1—5. quem locum imitatur Ovidius Metamorph. L. 15 v. 871. seqq.

Jamque opus exegi: quod nec Jovis ira, nec ignes
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.
Cum volet illa dies, quae nil nisi corporis hujus
Jus habet, incerti spatium mihi finiat aevi:
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum etc.

Nonne quid veri habuere hujus vatis praesagia? —

ram judicasse, omnem poëticam cerni in imitando naturam. *)

---

*) Attamen vero haec definitio artis poëticae Aristotelea, re adcuratius agitata, non sufficit. Nonne, quod hic philosophus de poësi dicit, idem de arte statuaria et Apellea praedicare licet? Pictoresne excellentes et statuarii admodum diligenter naturae vestigia premunt, summam in vera et recta ejus imitatione positam esse laudem haud injuria existimantes? Nam ut quisque pictor aut statuarius maxime naturam ducem sequi et ad ejus exemplar, quod ubique oculis nostris obversatur, accedere studet, ita quoque summo in pretio haberi maximisque solet efferri laudibus. Picturae tantum naturae imaginem referentes ad delectandum et ad bonos mores componendum animum conferunt. Quis non maxima cum voluptate in intuendis talibus picturis, mirabili, quam habent cum naturae exemplari similitudine et quadam artificii suavitate adlectus acquiescit? Nonne tantum propterea ex intuitu statuae alicujus marmore excisae voluptatem concipimus et motum, quod in ea ne unum quidem lineamentum ab ingenuo naturae sensu alienum adparet? Quid? quod quo diutius ejusmodi artis statuariae monumentum adspicimus, eo pluribus et insignioribus virtutibus eam conspicuam esse intelligere solemus. Cum igitur hae artes modo commemoratae etiam in imitando naturam cernantur, ex definitione poëseos Aristotelea non satis perspici potest, quid sit poësis? Aristotelis definitio igitur plenior exsistit et rectior, si dicatur, poësin non tantum cerni in imitando naturam, verum etiam in exprimendo omnes res aut in universa rerum natura aut in vita communi obvias verbis gravissimis et admodum elatis. Quam adnotationem hoc consilio h. l. adspersi, ut caverem, ne mihi iterum exprobraretur, a me quidem multa de poësi scripta, sed satis adcuratam poëicae artis definitionem prorsus omissam fuisse.

Num vero idem de hebraica poëfi dici poteft, an differt ea aliquatenus a Graecorum ac Romanorum poëfi? *) Quod imitandi ftudium attinet, quo in componendis libris et carminibus ferebantur hebraici-fcriptores, in operibus eorum imagines admodum audacter effictas ac dulci fublimique oratione exornatas invenimus. Prophetis vero et vatibus Judaici populi non tantum hoc propofitum erat, ut omnia in natura rerum grandia, **) pulcra et admiratione digna verbis exprimerent efficacibus et numeris bene fluentibus, verum etiam in eo laborarunt, ut ardua canendo hominum animos ad rerum altiorum ac divinarum veram intelligentiam et cognitionem adducerent, graviter monentes, unum tantum effe Deum perfectiffimum et potentiffimum. ***) Animum igitur hi viri ad vere divina et Deo

*) Huc pertinent Lowthi elegantiffimi harum rerum aeftimatoris praelectiones de facra poëfi Hebraeorum et, quae ex hoc genere paffim ad eas notavit Michaelis.

**) Conf. Krummacher *über den Geift und die Form der evangelifchen Gefchichte in hiftorifcher und äfthetifcher Hinficht.* §. 197. *Über die Parabeln Jefu* pag. 429. Storr de parabolis Chrifti in opufc. acad. et Conz *morgenländifche Apologen u. f. w.* 1803.

***) Ut unum commemorem locum, qui ad rem praefentem valet, conf. Jef. cap. 40. v. 12. etc. In hoc loco fapientiam et omni potentiam, quae deo O. M. competat, vates defcribit fic in v. XII.:

מי־מדד בשעלו מים ושמים בזרת תכן
וכל בשלש עפר הארץ
בפלס הרים וגבעות במאזנים:
מי־תכן את־רוח יהוה ואיש עצתו
יודיענו: את־מי נועץ ויבינהו etc.

digna dicenda acrius attendebant Graecis atque Romanis, qui acquieverunt in rebus, quae nobis naturam intuentibus

---

Quid his verbis magnificentius et honorificentius dici potest? Innumera alia in Jesaiae prophetiis obvia loca eandem pertractant sententiam v. c. in cap. XII, 1, 4, 5 et 6. V. in Ps. 104. 89. Ps. 5 et in multis aliis, Proverb. VIII. a 23—33 v.

Sed non solum carmina a poëtis hebraicis in deum ejusque virtutes admodum poëtico et elato sermone composita sunt, verum etiam oratio, quam adhibuerunt ad describendam Satanae potestatem, quam in homines exerceat, quandam poëticam sapit gravitatem et efficaciam. Nam, in libris V. T. duo regna sibi opposita describuntur: alterum lucis (coeleste, divinum) in quo Deus angelis ceu ministris utens imperat cujusque cives sunt homines pii felicitate et dignitate summa aliquando decorandi; alterum: tenebrarum, cui diabolus praeest, qui et ipse habet ministros, spiritus nempe malos, et in homines impios aeternumque damnandos tanquam in cives regno suo adscriptos, dominium exercet. Vid. Iob. I, 6—Ts. II, 1—8 sq. quo utroque looo elementa certe daemonologiae Judaeorum seriorum continentur, siquidem הַשָּׂטָן, qui inter filios Dei coram Jehovah comparuisse et calumniatoris personam sustinuisse fertur. (Confer. Bauer) *biblische Theologie d. A. T.* pag. 197. et Gesenius *in d. hebräisch-deutsch. Handwörterb.* Vol. II. Leipz. 1812. 8. sub vocab. שָׂטָן). Vid. porro Zach. III, 1. seqq. 1 Chronic. XXI, 1. Tob. III, 8. 17. VI, 4. 7. VIII, 3. XV, 16. Baruch. IV, 6. 35. (Sirac. XXI, 28.) Sapient. II, 23. (Vid. Bauer *bibl. Theol. d. A. T.* pag. 194 seqq. (Ejusdem) dicta classica V. T. Lips. 1798. 8. pag. 213 sq. Ammon *bibl. Theolog.* Vol. I. Ed. 2. Erlang. 1801. 8. p. 359 sqq. — Bretschneider *systematische Darstellung d. Dogmatik u. Moral d. apokr. Schriften d. A. T.* P. I. Leipz. 1805. 8. p. 182 sqq. — Judaeorum recentiorum placita de daemonibus congessit Eisenmenger in libr. *Entdecktes Juden-*

ſe obtrudunt, deſcribendis, immo diis adeo, quos adorabant, virtutes humanas et imbecillitatem mortalibus adhaerentem adfinxerunt. Hebraica igitur poëſis arcte cum religione erat conjuncta, quoniam, quicquid honeſtum, pulcrum et omnibus numeris abſolutum eſt, ad numen ſummum et ſapientiſſimum, a quo omnia vitia, quibus eſt homo obnoxius, longe remota ſunt, refert, et inprimis

---

thum. P. II. c. 8. p. 408 ſeqq. coll. CHRIST. GERSON libr. *Des jüdiſchen Thalmuds fürnehmſter Inhalt u. Widerlegung* (Leipz. 1685. 2 Part. 8.) P. I. c. 9. p. 56 ſeqq. c. 10. pag. 61 ſeqq. P. II. c. 14. p. 454 ſeqq. — (CORRODI) *Beyträge zur Beförderung* etc. Part. I. pag. 55 ſeqq. (JOH. HALLENBERG) *die geheime Lehre der alten Orientaler u. Juden* etc. Roſtock u. Leipz. 1805. 8. pag. 124 ſeqq. Quo vero poëtico ſtylo ſententia ſuper Deo et Satana ejusque regno et miniſtris a Judaeis concepta in Libr. V. T. propoſita eſt, eodem etiam in N. T. tradita exſtat; v. c. commemorandus eſt ille celeberrimus locus Act. XVII, 22 — ad finem. 1 Tim. VI, 14—17. In his locis majeſtas divina praeclare deſcribitur. Deinde Matth. XXIV, 3 ubi diſſeritur de adventu Chriſti; (ἐπιφανεια της δοξης του θεου και Ιησου Χριστου (Vid. quae poſt alios KOPPIVS in Excurſ. I. epiſtol. ad Epheſios ſubjecto ſuper hac re perſpicue et copioſe diſſeruit). Conf. XXV, 31—46. In hoc ſane loco praeclariſſimo divina Jeſu Chriſti adventantis et ſolio ſplendido ſuo inſidentis angelisque innumeris ſtipati majeſtatem non ſolum declarat evangeliſta ſatis elata dictione, verum etiam conditionem deſcribit eorum, qui a Satana ſe regi patiebantur, ita, ut Jeſum loquentem inducat: πορευεσθε ἀπ' ἐμου οἱ κατηραμενοι εἰς τὸ πυρ τὸ αἰωνιον το ἡτοιμασμενον τῳ διαβολῳ και τοις ἀγγελοις αὐτου. Quis non videt, hanc ſententiam de duobus regnis, altero lucis altero tenebrarum ita comparatam eſſe, ut non niſi poëtico ſermone tradi poſſit.

in constituendis de deo notionibus versatur, ut innumera loca V. T. testantur. Ex his satis luculenter adparet, prorsus singularem esse dignitatem et praestantiam hebraicae poëseos.

Etsi enim prophetae aliique judaici poëtae nunnunquam utuntur oratione soluta, neque ad regulas quasdam et numeros exacta, neque artificio ac nitore exculta: eam tamen nativa quadam pulchritudine insignem et ad rerum proponendarum gravitatem et sanctitatem satis accommodatam esse, mihi observasse videor. Indole igitur hebraicae poëseos breviter descripta, ad nonnullos Christi sermones, quos eandem redolere poëticam praestantiam, supra diximus, paulo adcuratius perlustrandos progrediamur. Istam prophetarum enim V. T. poëticam et imaginibus et visionibus refertam orationem etiam ad N. T. dimanasse quis est, qui nesciat?

Multi tamen fuerunt et nunc sunt, qui contendant, Jesum non sermone poëtico usum, sed tantum disertum *) et eloquentem fuisse, ita, ut facile, quocunque voluerit, animos audientium potuerit flectere. Etsi bene scio, admirabilem et paene divinam vim esse hominis eloquentis meritoque scripsisse Euripidem: Nihil esse, quod ferro, quin idem oratione possit confici, minime tamen eorum sententiae

---

*) Joh. Gottfr. de Herder *Briefe das Studium der Theologie betreffend. Nach der zweyten verbesserten Ausgabe.* Tübingen 1785. *Herausgegeben durch* Joh. Georg. Müller. Vid. epist. 16. statim ab initio.

adstipulari ausim. Illi enim non satis de discrimine, quod intercedit inter poësin et eloquentiam, cogitasse videntur. Poëtae enim tantum est, animos hominum orationis vi et granditate graviter commovere ac phantasiam sedulo agitare; orator vero disertus versatur potius, explicatis rationibus idoneis, in persuadendo. *) Non igitur Jesum dici posse

*) Alii prodierunt, qui dicerent, Christum fuisse non nisi merum philosophum. Quam vero sententiam etiam rejecerim. Cum Jesus se religionis novae ejusdemque praestantissimae auctorem divinumque legatum esse affirmaret, sibi quidem adcuratiorem philosophiae cognitionem paraverat, sed hanc ob causam eum non omnia sua praecepta pedestri, quem philosophi adhibere soleant, sermone proponere oportuisse, nemo non videt. Etsi porro nemo adhuc poësin ad fastigium suum et culmen evexit, nisi qui prius in intima philosophia fundamenta artis suae jecerit, tamen valde philosophus a poëta differt. Philosophus nulla affectuum nostro animo innatorum ratione habita tantum praecepta proponit, quae ad rationem pertineant et fere semper eo sermone tradita leguntur, qui animo humano delectationi sollicite inhianti refragatur. Quis liberalioris ingenii non luhentius Virgilii et Horatii aut recentioris aevi poëtae scripta (Schillerii, Goethii aut alius cujusdam) in deliciis, in manibus etiam et in quotidiano usu habet, quam Ciceronis philosophi aliorumque aut recentioris aetatis philos. v. c. Cantii, Fichtii aliorumque commentarios. Admodum ingeniose Lowthius in aureo libello. de sacr. Hebr. poës. de discrimine, quod intercedat, inter philos. et poëtam disserit:

Hoc enim, ait, maxime videtur interesse inter philosophum et poëtam, quod cum utriusque idem sit consilium, alia tamen alii id quod velit, consequendi sit ratio. Uterque docentis personam sustinet; quam quiden alter ita optime tueri censetur, si clare doceat, si sub-

tantum eloquentem satis elucet e sermonibus ab ipso habitis, potissimum vaticiniis. Nam in his, semper fere ad interitum inprimis Judaicae reipublicae instantem spectantibus, si diligentius comparantur cum prophetarum V. T.

---

tiliter, si enucleate; alter si jucunde, ornate, suaviter, eleganter. Ille ab adfectibus ad rationem unice provocat; hic ita rationem adpellat, ut adfectus etiam in suas partes studeat pertrahere. Ille ad virtutem et veritatem proxima et compendiaria semita utitur; hic per itinerum flexiones quasdam et diverticula, sed amoeniore via eodem ducit. Illius denique est, utramque ita exponere et nudare, ut necessario eas agnoscamus; hujus ita easdem ornare et vestire, ut amemus ultro et amplectamur. Poëticam igitur eo praecipe utilem esse, statuo, quod sit jucunda: et dabunt mihi veniam, ut spero, philosophi, homini sectae suis, ut sit, nimium tribuenti si addidero, tanto nonnunquam utiliora esse poëtae quam philosophi scripta, quanto jucundiora etc.

Caeterum sententia mea, Jesum esse suavissimum antiquitatis poëtam, minime omni laude virorum doctorum destituta deprehenditur, sed potius multi ei adstipulantur v. c. ut uno exemplo utar, Dinter in libello doctissimo: *Anweisung zum Gebrauch der Bibel in Volksschulen. Neustadt an d. Orla* 1814. 2 *Theile, Seite* 250. Verba sonant sic:

„*In der That, wenn uns Jesus nicht als Sohn Gottes, nicht als Stifter der vollkommensten Religion ehrwürdig wäre, so müsste er uns wenigstens als einer der lieblichsten Dichter des Alterthums heilig seyn. Man nenne mir einen Dichter, der das Hohe und Höchste in einem so einfachen, natürlich schönen Gewande dargestellt hätte, als er. Die Dichtkunst oder die Geschmackslehre überhaupt muss den Gleichnissen Jesu in ihrem Gebiete einen verhältnissmässig eben so hohen Rang anweisen, als es die Moral in ihrem Reiche thut.*“ — —

vaticiniis, multa reperiuntur, quae inde petita et admodum poëtice dicta sint. Etenim prophetae in iis locis, ubi mentionem infausti, quod Judaicum populum mansurum sit, fati injiciunt, gravissima oratione et admodum elata utuntur, quae vim habeat ad animos hominum flectendos et insigniter adficiendos. KRUMMACHERUS *) ad probandam sententiam, multos sermones Christi vere poeticos esse, adtulit hoc argumentum: „Cum vaticinia, ait, tantum a numine solo rerum futurarum praescio suppeditari possint, hominem, qui haec a Deo accepta proponere voluerit, lingua numine digna, quae poësis merito habetur, uti oportet. Quodsi Jesum igitur poëtice loquutum fuisse negaveris: ex meo quidem sensu facere non poteris, quin aut simulationis aut mendacii coarguas eum, aut somnia aut ineptias protulisse contendas."

Hujus viri doctissimi argumento, qui nonnullis in locis hanc rem molli, ut ita dicam, brachio egit, accedit, quod Orientalium lingua, qua Jesus loquebatur, prosa, salva opinione a nobis de poësi concepta, adpellari potest poëtica. Quorsum vero haec disputamus? res ipsa loquitur, si paulo adcuratius perlustraverimus locos N. T. nonnullos, poëticam vim spirantes. Ut autem quendam ordinem in eruenda poëtica indole sermonum, quos Christus cum discipulis aliisque hominibus contulit, sequamur neque vagemur incerte, primo quidem eos pertractare liceat, in quibus potissimum imagines

*) Vid. KRUMMACHERI lib. supra commemoratum §. 192. *Poetische Reden und Prophezeihungen Jesu Christi.*

poëticae e rerum externarum natura desumtae occurrunt, quas obiter comparabimus cum imaginibus prophetarum V. T.; deinde eos sermones, in quibus imagines e moribus rebusque aliis in communi vita occurrentibus petitae legentibus se obtrudunt. Quamquam omnibus fere Christi sermonibus imagines e natura rerum derivatae insunt, tamen in vaticiniis frequentior est earum usus. Paucula igitur ex eorum singulis delibanda sunt.

*) Explicaturi sumus ante omnia locum in Matth. XXIV, 14 et seq., ubi describit Jesus, quam nobilem et praecla-

---

*) Hic sumimus vero, Evangelistas in commemorandis orationibus Domini non usos fuisse suis verbis, sed maximam certe partem adhibuisse formulas a Domino ipso prolatas. Hoc non modo, paulisper circumspectis rebus omnibus, probabiliter confici potest; poterant enim multa ex illis sermonibus tenere memoria vel eo ipso tempore, quo audirent, vel non ita multo post liturario condere in succum et sanguinem, quod ajunt, vertere Judaicisque opinionibus, de hac illave re aptare; verum etiam illud demonstrat et quasi cogit, quod ea, quae dixisse fertur Dominus, ita consentiunt, ut paene iisdem verbis proferantur ab Evangelistis pluribus. Denique nec facile est ad intelligendum, qui tandem hi scriptores ex inferiori populi ordine oriundi et disserendi arte rudes Christi in dicendo exercitati ac perpoliti orationem potuissent emendare. Hoc saltem est extra omnem dubitationem positum, Jesum, qui orationem gravissimum aliquod ad homines instituendos, corrigendos et excitandos esse praesidium putabat, admodum elato sermoni extrudendo operam navasse ideoque Apostolos maxime a Jesu usurpatas dicendi formulas literis consignasse.

ram religio christiana victoriam ex hostibus ipsam austere et graviter impugnantibus reportatura sit. Vaticinatur h. l. servator, Judaeorum et Ethnicorum religionem abrogatum et Hierosolyma opulentissimam et omnibus rebus, in quibus mortales felicitatem ponunt, florentissimam Asiae urbem funditus eversum et vastatum iri. Deinde agit adcuratius de periculis Judaico populo imminentibus ac de tempore instante, quo, monet, omnis generis calamitatibus Judaeos adflictum iri. „Discipuli, ait ulterius, caveatis Vobis a docentibus falsa, ego sum verus Messias et comparandus fulguri splendenti ab Oriente usque ad Occidentem.“ Oratio sane per hoc totum

---

Putaverim omnino, consentaneum esse, curatius demonstrare, quatenus quoad dicendi genus inter se differant scriptores N. T. Magna sane styli diversitas in eorum scriptis deprehenditur, utpote quam diversa materiae ratio postulat. Attamen vero non dubium est, quin in singulis quibusque N. T. scriptis argumentum, etsi nonnunquam siccum et nudum, passim soluta oratione tractetur et poëtice insuper exornetur. Cuique Apostolo est propria elocutionis poëticae indoles. Quam qui penitus perspectam habere velit, opera variorum sacr. scrptt. inter sese conferat; videat, quantum intersit inter genus illud orationis grande passim, vehemens, exaggeratum, sed simul ordinatum, fusum tractumque et in illo impetu et violentia aequabiliter tamen profluens; et nostrorum poëtarum acres, incitatas et vibrantes sententias, sensibus elatas, verbis ardentes, compositione novas, constructione varias, dum vatis animus huc illuc identidem sese proripit neque usquam in uno loco situque consistit.

(Huc referri debet, quod doctissimus harum rerum elegantissimusque aestimator de scribendi genere V. T. scriptt. dicit in libello supra comemorato, Lowth.)

caput diffusa tam grandia et horrida spirat, ut multi interpretes sacrr. librr. sibi persuadeant, h. l. finem mundi describi. Elatior oratio orditur a versu 29. cap. XXIV Matth. (hunc evangelist. propterea sequamur, quod vaticinia et orationes Christi omnino in quemdam ordinem redegit eumque comparemus cum reliquis evangelist.) et nonnullis in locis sapit sermonem prophetarum V. T. poëticum. Cf. Joh. XIII *) et

---

*) Cf. Joh. XIII. Primum paucula tantum de Joannis dictione exponamus. In hoc loco Jo. evangel. admodum strictim de gloria, qua aliquando decorandus sit Jesus, disputatur. Tantum salvator: νῦν, ait, ἐδοξασθη ὁ υἱός του ανθρωπου, καὶ ὁ θεός ἐδοξασθη ἐν αὐτω. Ει ὁ θεος ἐδοξασθη ἐν αὐτω καὶ ὁ θεος δοξασει αὐτον· Τεκνα ἔτι μικρον μεθ' ὑμων εἰμι. etc. Quamquam vero haec oratio admodum pressa est, nulloque artificio et cultu commendatur, tamen hac simplicitate nativoque styli colore motum et delectationem in animis legentium excitat. Quam pulcre describit Joannes Jesum mortis ipsum manentis, proditore sui ipsius tecte significato, mentionem tranquillo et bono animo facientem! v. c. in vocab. antecedentibus: ἀλλ' ἱνα ἡ γραφη πληρωθη· ὁ τρωγων μετ' εμου τον ἀρτον, ἐπῆρεν ἐπ' εμε την πτερναν αὐτου etc.: Qui convictu meo utitur calcem adversus me tollit. Cf. Ps. 41, 10 ubi verba sic sonant: אוֹכֵל לַחְמִי הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב: qui panem meum edit, contra me calcem extulit.) Ubique imagines in Joannis evangel. ad rerum naturam et rationem aptatae et ad sententiarum sanctitatem et gravitatem accommodatae, poëticaque quadam vi, quae animum auctoris divino spiritu agitatum produnt, traditae deprehenduntur. Quarum usus frequentior est praecipue in iis locis, ubi hic evangelista Salvatoris amantissimus orationes Jesu Christi ad regnum coeleste adludentes ad verba recitaturus imaginem Salvatoris insigni gravitate et efficacia inter Judaeos docentis in memoriam revocabat et phantasiae, qua pollebat, alacritate et fervore adjutus ante oculos suos tanquam jubebat obversari. Ex omni-

XXXIV. Ezech. XXXII. *) Ps. XVIII et XXIX, quos locos paulo adcuratius cum nostro contendisse juvabit.

---

bus locis, in quibus Joannes Jesum, de regno divino loquentem inducit, satis luculenter adparet, eum majori studio, consilium, quod Jesus in proponenda doctrina divina animisque Judaeorum inculcanda sequutus fuerit, adcurate enucleandi reliquis evangelistis flagrasse, animumque omnino ad res divinas singulaque Christianae religionis capita pertractanda, orationibus Christi fere omnibus relatis, adtendisse. Exceptis igitur rebus ad religionem Christ. pertinentibus Joannes obiter tantum res reliquas, quae Christo accidisse dicuntur a Matth., Luca et Marc., attigit, quin saepius nullam earum habuit rationem. (Cf. v. c. ea segmenta in evang. reliqq. Apostolor., ubi disertis verbis narratur, simulac Jesus exspiraverit, templi velum in duas partes scissum fuisse. Haec narratio, ut innumerae aliae, quae mihi non statim in mentem veniunt, in Joann. evangel. desideratur. (Non vero semper simplex et brevis est Joannis oratio. Multa etiam occurrunt loca, ubi dictio ejus ita comparata est, ut satis inde eluceat, auctorem divini Sp. impulsu scripsisse, et omnia, quae Jesus de praestantia virtutis et christ. religionis veritate docuerit, vere intus percepisse et in succum et sanguinem vertisse. Et cum Joannes animi fervore et juvenili, quo vigebat, robore super omnes Apostolos longe emineat, quid mirum? poëtae oestro entheo percussi instar de rebus divinis et auctore nostrae relig. diseruit et scripsit. (Vid. exemp. g. cap. XVII, ubi Jesum evangelista preces fundentem nobis ante oculos ponit. Και επηρε τους οφθαλμους αυτου εις τον ουρανον και ειπε· πατερ εληλυθεν ή ώρα· δοξασον σου τον υιον, ινα και ὁ υιος σου δοξαση σε. etc. usque ad finem. Quis hoc totum caput non maxima cum voluptate et admiratione perlegit? quis non sentit, verbis in hac sectione obviis non solum Christi sanctitatem, obedientiam erga Patrem O. M. insignemque, qua homines amplectebatur, caritatem, verum etiam Joannis incredibilem, quo in Jesum et praecepta ab eo tradita ferebatur, amorem admodum elate et

Jesu v. c. Matth. XXIV, 29. 30 vocabula †) σκοτισθήσεται ἥλιος καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς et seq. imagi-

graviter expressum esse? Quis in legendo hoc cap. motum animi excitatum et lacrymas obortas reprimere potest?) Ex hoc loco sane jam intelligere licet, quatenus Joannea dictio a scribendi genere reliqq. differat. Haec igitur sufficiant. De oratione a caeteris Apostol. adhibita alio loco pluribus.

*) Ezech. XXXII. Hic verba sonant sic:

וְהִקְדַּרְתִּי אֶת־כֹּכְבֵיהֶם שֶׁמֶשׁ בֶּעָנָן
אֲכַסֶּנּוּ וְיָרֵחַ לֹא־יָאִיר אוֹרוֹ׃
כָּל־מְאוֹרֵי אוֹר בַּשָּׁמַיִם אַקְדִּירֵם
עָלֶיךָ וְנָתַתִּי חֹשֶׁךְ עַל־אַרְצְךָ נְאֻם אֲדֹנָי
יְהוִה׃ etc.

Hunc locum propterea adspersi, ut argumentum adferrem, ex quo perspici posset, Matthaeum et reliquos, excepto Joanne, evangelist. descriptionem hanc calamitatum Judaeis instantium passim ad verba ex V. T. repetivisse. Voluerim porro probare, inter prophetas V. T. etiam quoad dictionem poëticam et dicendi formulas (praesertim inter Ezech. et Jes.) incredibilem intercedere similitudinem. Cum Jesus etiam prophetae personam sustineret et elatam et propheticam V. T. orationem adhiberet, Apostoli eum imitati sunt, quantum fieri poterat, adcurate et diligenter. Krummacherus admodum ingeniose dicit de Jesu se ad sermonem proph. V. T. accommodante haec: *So wie Jehovah seinem Volke in Wolken und Wettern erschien, so redete er zu ihnen durch den Mund der heiligen Seher oft nur in der Verhüllung des Bildes und Gleichnisses, und man glaubte dann um so mehr, die sich zu den Menschen herablassende Stimme des Allerhöchsten zu vernehmen. Darum schmiegte sich die einfache*

†) Hic loc. etiam desideratur in evangel. Joann.

nem e natura desumtam continent, quae depromta esse videtur ex Jes. cap. XIII, 10., ubi disseritur de excidio Baby-

Parabel und das anspruchlose Gleichniss an den erhabenen Vortrag eines Jesaias und Ezechiel — und daher, fand man auch in spätern Zeiten in dem bildlichen Ausspruche eines Propheten jeglichen Sinn, der sich mit demselben, wenn auch auf die entfernteste Weise vereinen liess, eben darum, weil ein Mann Gottes ihn gesprochen hatte. —

Cum supra dixerim, Joannem legentium animos semper ad adcuratam regni divini cognitionem et intelligentiam adducentem, via certa et vera ad illud consequendum monstrata, magis in eo elaborasse, ut sublimi et fere divino uteretur sermone reliquis Apostolis, nemo erit, qui miretur, eum quoad styli colorem ab omnibus liberalioris ingenii Christianis reliquis evangelistis praeponi solere. Ratione vero perspicuitatis verborum et sententiarum habita multis in locis, narrationem Joann. de Christi factis et dictis criticum reliqq. narrat. Apost. posthabere oportet. Sed haec verborum et sentent. obscuritas inde exorta esse videtur, quod Joannes aut linguae Graecae non satis peritus aut phantasiae, qua gaudebat, fervore nimis abreptus, cogitationes de divina, quam pertractare in animo habebat, materie intus perceptas et agitatas non idoneis et satis perspicuis verbis exprimere poterat; v. c. illam ideam ab eo animo conceptam de λογῳ ejusque arcta quam habeat cum deo, conjunctionem. (De Joanne Apostolo scripsere hi: (Berthold) verosimilia de origine evangelii Joann. Erlang. 1805. (Glasser) de Joanne Apostolo evangel. vero auctore. Helmstad. 1807). Etsi in Joan. evangel. alia ad vitam Jesu spectantia, quae in caeterorum commentariis scripta leguntur, non reperiuntur, quoniam interdum levioris momenti erant, tamen ejus commentarius eo haud parum commendatur, quod eos potissimum sermones Jesu exhibuit, qui maxime inserviunt consiliis Christi praestantissimis recte cognoscendis atque in enarratione fato-

lonis. Propheta in capite illo dicit, nisi resipiscerent Judaei, Jehovam odium semel in eos susceptum non depositurum,

---

rum memoratu dignissimorum Jesu singulas loci, personarum ac temporum rationes diligentia praecipua notavit et pragmatismo, quem vocant, historico studuit. Inter laudatores hujus evangelii est commemorandus:

Herder von Gottessohn d. Welt Heiland. Riga 1797. 3te Sammlung christl. Schriften.

Berger moralische Einleitung in d. N. T. 2ter Th.

Corrodi Beyträge zur Beförderung d. vernünftigen Denkens in d. Religion.

Gedanken über d. Vorliebe zum Evangelium Johan. im Gabler. neust. theol. Journal. 10ten Bds. 1 Stück.

Schulze der schriftstellerische Werth u. Charakter d. Jo. untersucht. Weissenfels u. Leipz. 1803.

Strong specimen hermeneutico-theologic. de doctrina et dictione Joannis Apost. ad Jesu dictionem et doctrinam composita. Trajecti ad Rhenum 1791.

Storr über d. Zweck d. evangelisch. Geschichte u. Briefe Johannis. Tübingen 1786.

Ziegler im Gabler. Journal. 9 Bds. 1 St.

Oberbeck neue Versuche über das Evang. Jo. Gera 1784.

Russwurm in Augusti's neu. theolog. Blättern. 3ten Bds. 3 St.

Schmidt Critik u. Exegese d. N. T.

Lindemann comment. *Gab. th. Jour. 9ten Bds. 5 St.*

Paulus Introduct. in N. T.

Etsi vero Joannis evangelium hoc elatiore scribendi genere reliquorum apost. evangeliis antecellit: tamen commentarii Matth.

ſed potius omnes improbos deleturum, quin totum terrarum orbem everſurum eſſe. Simulac, ait, dies Jehovae illuxérit, obſcurabuntur ſtellae, Orion, ſol et luna deficiet; vocabula ita ſonant הַשֶּׁמֶשׁ בְּצֵאתוֹ וְיָרֵחַ לֹא־יַגִּהַּ אוֹרוֹ׃ et prophetam numine plenum fuiſſe, indicant. Marcus cap. XIII, 24, quae Matthaeus, eadem h. l. adhibet verba, non item Lucas, qui etiamſi Matthaei evangelium diligenter deſcripſiſſe videtur, tamen nonnunquam oratione ab ſermone Matth. aliena et saepius pedeſtri uti ſolet; apud eum tantum ſcripta leguntur verba (XXI, 25) *καὶ ἔσται σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σηλήνῃ* et ſeq. Comparandus etiam eſt loc. in Ezech. XXXII, 7. 8. obvius, ubi infauſta Aegypti fata praedicuntur et fere gravior et magis poëtica oratio legentibus ſe obtrudit dictione in Jeſ. cap. ſupra commemorato et XXXIV, 4 occurrente. Quibus locis inter ſe collatis, redeamus ad Chriſtum ulterius verba facientem in c. Matth. XXIV, 30. ubi, *ὄψονται*, inquit, *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. Καὶ ἀποστελεῖ ἀγγέλους* et ſeq. His in verbis ſenſus hic delitescere videtur: Poſt illam rerum con-

---

Luc. et Marc. aliis iisdemque ſplendidis virtutibus conſpicui laudantur. Deſcriptiones exemp. g. rerum in natura obviarum, quae, cum a conſueto naturae ſtatu extraordinario modo recedant, probe notandae et commemorandae ſunt, in commentario Matth. occurrentes in Jo. evangel. ſaepius deſiderantur. Sed quatenus Scriptt. N. T., reſpectu dictionis inter ſe differant aut ſibi ſimiles ſint, infra dicturi ſumus. —

verſionem, *) quam Judaicam rempublicam manere dico, mea doctrina per totum terrarum orbem diffundetur. Quo Jeſus

---

*) In h. loco, ubi excidium Hieroſolymorum Chriſtus haud vano augurio vaticinatus eſt, Servator noſter ad illum Dan. prophetae V. T. clariſſimi verſum provocare videtur, ubi diſertis verbis de miſerrimo, quod ſortitura ſit, reſpublica Jud., fato disputatur in cap. IX, 26 et 27:

(ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח
ואין לו והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא
וקצו בשטף ועד קץ מלחמה נחרצת שממות׃
והגבר ברית לרבים שבוע אחד יחצי
השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים
משמם ועד־כלה ונחרצה תתך על־שמם׃

Et transactis ſexaginta et duabus hebdomadibus ſervator occidetur et omnia ad nihilum redigentur: et populus principis cujusdam adventans urbem et templum ſacroſanctum demolietur et illud perdetur inundatione et uſque ad finem belli omnia deſolata ſtabunt: Et corroborabit multis foedus unam hebdomadem, dimidia vero hebdomadis parte exacta, nulla ſacrificia et dona offerentur, et ad valvas (Scil. templi) exſecranda (proprie abominatio erit) peragentur facta et omnia undique devaſtabuntur (propr. devaſtatio conſpicitur) et quae ſeq.) Mirum ſane nobis videtur, quid ſit, quod Judaei, qui ſemper effatis prophetarum magnam habuerunt fidem, huic elegiaco vaticinio Danielis, in quo admodum flebile et miſerandum civitati Jud. fatum graviſſimis verbis praedicitur quodque non eventu deſtitutum fuiſſe, uſu edocti cognovimus, non obtemperantes praebuerint aures. Sed quanto graviora verba in prophetiis vates Ebr. adhibuerunt ad aequalium mores emendan-

h. l. sermone, eodem utitur Davides in Ps. XVIII et XXIX in quo (Ps. XXVIII, 11. 12.) poëta describit tempestatem horridam, monens, Jehovam, ea saeviente, nubibus tamquam vehi; quod his verbis exprimitur:

וַיֵּרָא עַל—כַּנְפֵי רוּחַ

et splendore, ait, ex Jehova emanante, tenebrae, quibus orbis terrarum obsusus est, discussae recedunt. Quam poëtica, elata et sublimis est haec oratio! Jesus pergit, ut ad eum revertamur, vaticinari sic: legabit (sc. dei filius) nuntios suos tuba graviter sonante *) instructos et q. s. His

---

dos, tanto pertinaciores Judaei, qui ab eo inde tempore respectu potissimum religionis in deterius delabi coeperunt, se gerere studuisse videntur. Quod enim vaticinium cum efficaciam intimos animi humani sensus et cogitationes pertentantem exhibeat, Jesus eodem usus est Matth. cap. supr. com. XXIV. 15. hoc consilio, ut ejus elata dictione Judaeorum mentem falsis opinionibus obcaecatam graviter moveret et concuteret. Nam verba: Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ερημωσεως, το ρηθεν δια δανιηλ του προφητου, ἑστῶς εν τοπω ἁγιω· ὁ αναγινωσκων νοειτω, respondent vocabulis a Dan. adhibitis: שִׁקּוּץ מְשׁוֹמֵם (exercitus omnia vestans, per quem imminet summa et abominabilis vastatio cos. Luc. XXI. 20. et Joseph. A. J. X. 11, 7.) de vocabulo βδελυγμα vid. SCHLEUSSNERI Lex. Graec. Lat. in N. T. Lips. 1808. 8. pag. 444 sub. voce βδελυγμα. —

*) Multi putarunt interpretes, ut obiter tantum rem a nostro proposito alienam attingam, Jesum h. l. innuere finem mundi, sed, si comparaveris Luc. 17, 22—36. Matth. 24, 15, invenies, tantum sermonem esse de excidio Hierosolymorum. Neque vero Lucas dixisset, hanc urbem ab hostibus conculcatum iri, nec verbis usus esset αχρι

verbis etiam inest tropus *) apud Orientales admodum usitatus idemque occurrit Hagg. I, 13. **) Ex his igitur locis

πληρωθ. καιροι εθνων, quae innuunt victoriam, quam christ. relig. reportatura sit.

*) Conf. Eichstadii, Viri perillustris, Editionem Mori *Hermeneut. N. T.* praefat. et additamentis instructt. ab editore. Vol. I. cap. IV. §. 2. de tropor. notione, fundamentis et specie. p. 260.

**) Cum supra in me receperim, pag. 16 hujus differtat. me, ne incerte vagarer, primum imagines poëticas e rerum externarum natura desumtas pertractaturum et cum imaginibus prophetarum V. T. comparaturum, deinde eos sermones in quibus imagines e moribus rebusque aliis in communi vita occurrentibus petitae legentibus se obtruderent, examinaturum esse, nunc loco apud Matth. cap. XXIV 14 — usque ad finem trutina tanquam examinato, etiam versus N. T., qui de rebus e vita communi captatis agunt, adlaturus pergam. In parabolis a Christo editis plurimae imagines e communi vita, ritibus atque institutis reipublicae, in qua Jesu vitam degebat, suaves et saepius poëticae cum in legentium oculos incurrant, non alienum a meo proposito esse putaverim, nonnullos ejusmodi sermones parabolicos sermones adferre adlatosque curatius recensere. Matth. Marc. et Lucas proposuere quadraginta parabolas, quarum tantum quatuor de uno eodemque argumento agentes iisdemque fere verbis traditae leguntur apud omnes evangelistas. In evang. Matth. et Luc. duae occurrant parabolae, quae quoad argumentum et dictionem prorsus fere sibi similes sunt. Apud Matth. solum octo parabb. scriptae leguntur; In Marc. evang. tantum una obvia est. Commentarius Lucae vero numero parabolarum, quae ipso continentur, reliqq. Apost. evangeliis longe antecellit, cum septendecim aut duodeviginti praecipua diligentia (ακριβως ut Lucas in praefatione dicit) literis consignatae in eo exstent. Joanni ne

inter se collatis satis adparet, Jesum in vaticiniis inprimis sollicite poëticam orationem prophetarum V. T. imitatum

---

unus quidem eorum parab. sermonum Jesu, quos reliqui evangelistae proponunt, communis est. Hic Apost. tantum duas parabb. memoriae prodidit, aut, si caput XV pro parabola habere volueris, tres. His parabolis vero exceptis, etiam sermones legentibus in N. T. se obtrudunt, qui incredibilem cum parabolis habeant similitudinem quique etsiamsi eodem, quo parabolae gaudent, externo habitu careant, tamen respectu argumenti pro parabolis haberi, certe facile in eas converti possint. Ejusmodi effata Christi sunt tanquam parabolae nondum perfectae, neque, ut Horatius dicit, ad umbilicum perductae, v. c. Matth. VI. 2; Luc. IX, 62. et alia multa. Ne vero in campum a nostro longe remotum exspatiemur, nunc redeamus ad parab. Christi pertractandas, quae res e vita communi derivatas proponentes animos legentt. praecipue adliciunt adlectosque delectant. Satis notum est, effata Christi maximam certe partem ad regnum divinum (βασ. τοῦ θεοῦ) adludere, ita, ut quam rationem illud quemque cum humano genere habeat nexum, tecte tantum conjici possit. Ante omnia confer. cap. XXV., ubi statim ab initio regnum divinum (βασιλεια τ. θ.) contenditur cum decem virginibus sponso cuidam adventuro obviam euntibus. Quam perspicua, brevis et poëtica est dictio, quam in hac parabola reperitur! Bene enim Jesus sciebat, vix ulla re alia intelligendi facilitatem et orationis claritatem tantopere augeri, quam omnis generis comparationibus, quippe quae satis perspicue et breviter traditae essent. (Idem de comparationibus valet, quod Longinus, cujus judicium de παραβολαις temporum iniquitas nobis fere penitus eripuit, de visionibus dicit rhetoricis: της ῥητορικης φαντασιας καλλιστον αει το εμπρακτον και εναληθες· Δειναι δὲ και ἐκφυλοι αἱ παραβασεις, ἡνιχ᾽ ἂν ᾖ ποιητικον του λογου και μυθῶδες το πλασμα και εἰς πᾶν προσεκπιπτον το ἀδυνατον; de sublimitate cap. XV n. 8. p. 104 edit. Mori.; vid. porr.

fuiſſe. Et ne forſitan, in ejus aliorumque hebraicorum vatum ſermonibus orationem numerorum ſuavitate miroque

---

Quinctil. l. VIII. c. 3. n. 72. p. 383.) Qua vero in oratione perſpicuitatem, brevitatem et verborum ſententiarumque delectum dominari videmus, in eadem etiam ſublimitatem et poëticam quandam vim deprehendere ſolemus. Quo facilius enim omnes Domini ſermones percipiebantur, eo gravius etiam mentem circumfuſae multitudinis ferire poterant, adeo, ut ejus dicendi rationem, quae à Rabbinorum loquendi ratione multum recedebat, majorem in modum miraretur. (Nam ἐκπλήττεσθαι com. 28. cap. VII. Matth. idem eſſe, quod καθ' ὑπερβολὴν θαυμάζειν ſive ἐξίστασθαι, oſtendit Pricaeus in commentariis in varios N. T. libb. pag. 58.) Nonne Jeſus admodum perſpicue hac parabola docuit, qui, Jeſu exemplari omnibus numeris abſoluto ante oculas ſibi propoſito, animum ſemper ad virtutem informarent, eos dignos evaſuros eſſe, qui felicitate ſumma aeternaque, quam promiſerit Deus piis et bonis hominibus, decorentur, hoc graviter addens, omnes alios aliter ſe gerentes et neglectis chriſtianae religionis legibus, tantum genio ſuo indulgentes, aliquando beatorum numero excluſum iri. Quo magis igitur omnia, quae obſcure et contorte dicuntur, e ſermonibus removentur, quo verioribus et aptioribus res exprimuntur verbis, quo clarius mens, quam verbis tuis ſubeſſe velis, idoneis comparationibus illuceſcit; eo magis quoque animi motus vel excitentur, vel comprimantur, neceſſe eſt. Et quanta brevitas ornat omnes orationes Chriſti! quam praeclarus dominatur in iis verborum declectus, quam diligenter ſunt ſententiae et effata ejus ad temporum rationes accommodatae! v. c. quo brevior et preſſior eſt oratio ſponſi, qua virgines improvidas et ſtultas compellat, eo vehementius ferit et percellit earum animos: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς.

Quamquam non ſplendida porro imaginum evidentia excellit oratio, quam Jeſus, ut Matth. refert, hac in ſect. adhibuit, tamen

concentu conspicuam desiderari: ideoque illos minime inter poëticos esse referendos, nobis objicias: num omnis poësis

---

ei efficacia et suavitas non abjudicanda est. (Huc referri potest, quod dixit de hac re LONGINUS de sublimitate pag. 164—166 *φως γαρ τῳ οντι*, ait, *ἴδιον του νου τα καλα ονοματα· ὁ μεντοι γε ὀγκος αὐτων ου παντη χρειωδης· επει τοις μικροις πραγματιοις περιτιθεναι μεγαλα και σεμνα ὀνοματα ταυτον ἂν φαινοιτο, ὡς εἰ τις τραγικον προσωπειον μεγα παιδι περιθειη νηπιῳ.* Cf. etiam Quinctil. libr. VI, cap. I. n. 37. p. 273. Aristotel. Rhet. libr. III. cap. 3.) Quemadmodum vero moderato, rotundo et gravi dicendi genere parabolae a Matthaeo literis consignatae excellunt, ita orationes reliquae Jesu in ev. Matth. obviae comparationibus destitutae, sententiarum concinnitate et verborum vi eleganter et apte adhibita conspicuas esse, quis est, quin largiatur? Vid. exemp. g. Matth. V, — Cap. VIII. Tam graviter in h. l. Jesus loquutus est, ut, finita oratione montana, populus, qui ora docentis servatoris intentus tenebat, stupore praeter fidem defixus vehementer percelleretur. Ab initio hujus orationis montanae praecipue miratu digna est prorsus eximia sententiarum concinnitas et claritas (*Reinheit der Sätze und Gegensätze*). Nemo vero inficias ibit, Jesum multa e scripptt. V. T. repetita orationibus ab ipso prolatis ad miscuisse.

Sed tantum abest, ut vereamur, ne propterea orationum ab Jesu habitarum et ab Appst. memoriae proditarum praestantia imminuta evadat, ut, eas pluris faciendas esse ingenue adseramus; alioquin enim Jesu effata non tam insigniter audientium animos adfecissent. V. v. 3, 4, 5, 6, 7, 8: *μακαριοι οἱ πτωχοι τῳ πνευματι, ὁτι αὐτων ἐστιν ἡ βασιλεια των οὐρανων.* (Hic locus respondet vers. in Jes. proph. obvio, ubi scripta leguntur haec:

כִּי כֹה אָמַר רָם וְנִשָּׂא שֹׁכֵן עַד וְקָדוֹשׁ שְׁמוֹ מָרוֹם
וְקָדוֹשׁ אֶשְׁכּוֹן וְאֶת־דַּכָּא וּשְׁפַל־רוּחַ לְהַחֲיוֹת
רוּחַ שְׁפָלִים וּלְהַחֲיוֹת לֵב נִדְכָּאִים׃

in numeris bene et placide fluentibus, an in cogitatione liberiori cernitur et sermone etiamsi soluto, tamen imaginum et

---

Nam sic locutus est summus et excelsus, qui aeterum habitat (domicilium) cujusque nomen sanctum est: ego in templo habito et in iis, qui contriti et depressi animi sunt, ut sublevem mentem contritorum et erigam animum depressorum etc.). Μακαριοι, ait porro, v. 8. οι καθαροι τη καρδια· οτι αυτοι τον θεὸν οψόνται (cf. Ps. XI, 12. ubi vates deum rogat etiam atque etiam, ut animum ipsius pium redderet nullaque labe violatum conservaret.) Omnibus vero, quae sequuntur, sententiis omissis, statim progredi liceat ad vers. Cap. VI, a com. 9 — 14. recitandos, ubi Matth. Jesum preces fundentem inducit. Dominus sane in eloquendis rebus tantis, quae his precibus continentur, semper formulis perspicuis, simplicibus, utique talibus, a quibus vanus ornatus omnisque inanis et affectatus tumor abest penitus utitur. Πατερ ὑμων ὁ εν τοις ουρανοις· άγιασθητω το ονομα σου· ελθετω η βασιλεια σου· γενηθητω το θελημα σου, ὡς εν ουρανῳ και επι της γης et q. s. Quam sublimes, quam elatae sunt res, a Domino hic propositae! num magis pure atque simpliciter eas poterat eloqui? Profecto Jesus id sedulo enitebatur, ut in rebus gravissimis exprimendis omnem tumorem ita resecaret, ut frigoris illius, quod fere semper doctorum Judaicorum orationem, cum adsurgit et res magnas tangit, occupat, ne vestigium quidem in ejus sermonibus deprehendas. Uti paucissima verba, quae adhibuit ille, sunt, ita efficacissima et semper rerum gravitati, temporum locorumque rationibus accommodatissima. Hic locus, quo preces a Jesu factae continentur, ob multas et dudum a viris gravissimis celebratas virtutes, procul dubio longe perfectissimis, quae unquam compositae sunt a Jesu orationibus, adnumerandus est. Nihil in eo reperies, quod abundet, sed precum simplicitas, unitas et efficacia observatur diligenter, nihil, quod a notis naturae legibus abhorreat, nihil omnino, quod non in summa simplicitate ad doctrinam, quae subjecta est, exponendam et illustrandam animosque legentium graviter commoven-

visionum granditate, evidentia et pulchritudine splendido, qui ex animi fervore et phantasiae alacritate profectus hominum

---

dos aliquid conferat. — Cum Matth. orationes a Jesu habitas insigni diligentia et sollicita cura notaverit, non inepte conjicere licet, eum, quo Jesus, eodem spiritu s. agitatum eodemque boni et pulchri sensu imbutum fuisse. Simpliciter, presse, graviter immo multis in locis poëtice loquutus est Matth. Quem etiamsi concedamus antiquius evangel., ut multi haud injuria opinantur, ante oculos habuisse et descripsisse, tamen ejus oratio bene ad Jesu dictionem composita non minoris propterea aestimanda est. Nam ex illo evangelio haud dubie tantum res in facto positas et jejune et nude enarratas repetivit, hoc consilio, ut, quas ipse jam in promtu haberet, eas aut cum illis compararet, aut novas adderet easque oratione elatiore et graviore vestiret. Marcum etiam Matthaei vestigia pressisse, non ambigi potest. Sed cum multa loca in Matth. evang. obvia, quae poëticam efficaciam sapiunt, in commentario Marci desiderentur resque gravissimae nonnunquam nude et obiter tractatae legantur, multi opinantur, non dubium esse, quin Marcus aut artis scribendi reliquis imperitior aut illo divino sensu, quo Jesus super omnes eminuerit, destitutus fuisset. Sed nae illi a veritate minime deflectunt. Nam Marcus non nisi unam in com. cum proposuerit parabolam, non mirum nobis videatur necesse est, quid sit, quod ejus evangelium sublimiori orationis ornatu careat, cum parabolici sermones, sin apte et recte adhibeantur, dictionem exornent, illustrent sententiasque magnificentius exhibeant. Profecto ejus dictio simplicior, nudior et jejunior est oratione a caeteris evangelist. prolata. (v. c. commentarius Marc. caret praeclarissimo loco, qui occurrit in Matth., ubi de bonis et malis hominibus Jesus in throno majestatis insidens judicaturus describitur c. XXV. 31—46.) Sed, his pauculis expositis de Marci dict., progressuri sumus ad recensendam orationem a Luca et Paulo

animos praeter fidem ſtupore defigat? Et vaticinia Chriſti et Apoſtolorum nonne ejusmodi elatiore ſermone compoſita

---

adhibitam, non quin plura et meliora de ea dici poſſe exiſtimemus, ſed, quod hujus libelli anguſtiae impediunt, quo minus de hac re fuſius diſſeramus. Haud pauci fuerunt et etiamnum ſunt, qui ſibi perſuadeant, Lucam reſpectu ſcribendi generis Paulo et Matthaeo poſtponendum eſſe, monentes, eum quidem res adcurate (ἀκϱιβῶς) ut ipſe in praefatione dixerit, nec vero ſublimi et elata oratione enarraſſe. Sed nae illi vehementer errant. Quid vero, quaeſo, hoc argumentum ad ipſorum ſententiam valet probandam? Multa enim exſtant argumenta, ex quibus adpareat: Lucam, cum omnes res in facto poſitas adcurate et diligenter tradere apud ſe conſtituiſſet, non modo per ſuſcepti officii rationem, verum etiam per ipſius Domini exemplum obſtrictum fuiſſe, omnem navare operam, ut ſermones ſuos multitudinis auribus accommodaret et res, ut ipſarum natura tulerit, modo enucleate et ſicce modo elate et graviter proponeret. Itaque Lucam, omnia memoratu digna nude et ſicce deſcribere, dici non poteſt propterea, quod mira cum adcuratione removit ea, quae aut perſpicuitati verborum aut gravitati dictionum aut loquutionum ſuavitati obeſſent. E contrario multa in ejus evangelio et actis Apoſt. ab ipſo exaratis exſtant, in quibus multas reconditas exquiſitasque ſententias ornata, molli, perlucenti, quin poetica oratione veſtitas eſſe cognovimus. Exceptis multis aliis locis, ille huc referendus eſt: Act. cap. 9. ſtatim ab init.; deinde etiam mea ſententia probatur multis parabolis, quae in ejus evangelio inveniuntur.

Omnes Apoſtolos vero Paulus quemadmodum ſtudio acerrimo doctrinam Jeſu propagandi, ita quoque gravi et poetica, quam uſurpavit, dictione ſuperaſſe haud injuria dicitur. Magnopere ſane in eo elaboravit, ut argumentationes mirum in modum illuſtraret, ex parte tantum adcuratius definiret vera, duriora dictu

funt? Si quis legerit illam orationem altiorem et graviorem, quam inter humana audiri consuevit: nonne veluti divino

molliret et sententiis magnificentius exhibitis, comparationes et exempla magis aptaret, exornaret et collustraret. Quis est, qui neget, hunc virum sublimiori et acerrimo justi, recti et pulchri studio destitutum fuisse? Hic doctor Christianus nunquam, ut ex ejus scriptis adparet, a Domini exemplo et ab officii, μη παι ὅ τι κεν' επ' ἀκαιριμαν γλωσσαν ἐπος ελθη λεγειν, μηδε εἰκη συνθησειν τα προστυχοντα ἀλληλοις, ἀλλα εκλογη τε χρησεσθαι καθαρων ἁμα και γενναιων ὀνοματων, και συνθεσει ταυτα κοσμησειν μεμιγμενοι ἐχουση τῳ σεμνῳ το ἡδυ· religione declinavit, omnem operam navans, ut, quoad dictionem, vestigia Jesu premeret. Profecto ejus oratio tam sublimis et poetica multis in locis deprehenditur, ut salva opinione de poesi concepta, orationes recent. poet. aequiparet. Non est vero, quod hoc miremur, quod hic Apostolus phantasiae alacritate et animi fervore insignis erat. Vid. v. c. 1 epist. ad Tim. VI, 15, 16. ubi haec verb. occurrunt elata ἡν καιροις ἰδιοις δειξει ὁ μακαριος καὶ μονος δυναστης, ὁ βασιλευς των βασιλευοντων, και ὁ κυριος των κυριευοντων; Ὁ μονος ἐχων ἀθανασιαν, φως οἰκων ἀπροσιτον, ὁν εἰδεν οὐδεις ἀνθρωπ. etc. Non nisi poëtam vestro oestro agitatum et perculsum haec verba eloqui posse quis tam rudis est, quin intelligat? —

De Matthaei evangelio et Lucae et Pauli script. exposuerunt antiquiore et sequiore aetate:

Grotius in notis ad Matth. et Luc. ab initio. — Rillius in prolegomen. N. T. §. 114 et §. 116. — Wettstenius in edit. N. T. in prolegom. ad Marc. et Luc. — *Abhandlungen über die 4 Euangel. mit Zusätzen v. Semmler.* — Adler in commentatione nonnulla Matth. et Marci enuntiata ex indole linguae Syriacae. Havniae 1784. — *Polden Bericht d. Matth. v. Jesu.* — *Polden Bericht d. Marc. u. Lucas von Jesu.* — Seiler in commentatione de tempore et ordine, quo tria evangelia scripta sint, dua-

quodam adflatu perculsus in ea legenda acquiescat, et, ut rite eam legerit, precetur? Non inficiandum quidem est, vates hebraicos oratione non ad certas metri cujusdam regulas adstricta, verum soluta et inoffensa copulatione uti, quae tanquam ex tempore fusa et quoad limam neglecta videatur,

---

bus sectt. Erlangae 1805 et 6. — *Hug Einleitung ins N. T. 2ter Bd. S. 80.* — *Schmidt Comment. für Critik u. Exeg. des N. T. 2r Th. 1.* — *Polden d. Geschichte der Apostel v. Lucas übersetzt mit Anmerkung. Altona* 1799. — *Thiess Übersetzung v. Luc. Apostelg. neu. Leipz.* 1800. — Heinrichs Acta Apostolica Graece perpetua adnotatione illustrata auctore H. Tom. I. Gotting. 1789. Tom. II. 1810. — N. T. Graece edit. Kopp. Vol. III. — *Johannes Schriften übersetzt und erklärt v. Lange. 3ter Th. Weimar* 1797. — *Breitenstein d. Evangel. Johann. übersetzt mit Erläuterungen. Marburg* 1813. — Joann. Pierson qui vitam descr. Pauli in annalibus Paulinis quae leguntur in operib. Piersonii posth. Londini 1688. — *Schröckh in der christl. Kirchengesch. 2ter Th.* — *Niemeyer Charakteristik d. Bibel. 1 Th. Halle* 1800. — *Eckermann theolog. Beyträge. 2ter Th.* — Ammon de repentina Pauli conversione quae in opusculis ejus leg. — *Eichhorn Bibliothek der biblischen Litteratur. 8ter Bd.* — *Gräuling histor. psycholog. Versuch über den Übergang des Paulus.* — *Henke Museum für Relig. 5ten Bds. 2tes St.* — *Anmerkungen über d. Bekehrung Pauli, aus d. Englischen. Hannover* 1751. — Cf. porro: Poenii commentar. in ep. ad Rom. Lips. 1806. de ingenio et moribus Pauli. — *Schwarz die Lehre des Evangelii aus den Urkunden dargestellt.* 1808. *Heidelberg.* — Tzschirneri observationes Pauli Apostoli ingenium decernentes. — Bauer in libello philologia Thucydidis. Halae 1773. — Thalemann de eruditione Pauli judaica. Lips. a. 1769. — Baley horas Paulinas *mit Anmerkung. aus dem Englischen von Henke. Helmstädt* 1794. Baden de eloquentia Pauli. Havniae 1786.

ſed cavendum eſt, ne liberior haec dicendi ratio auctoribus vitio vertatur. Etenim cum illi vates fere omnes aetate viverent, qua ars poëtica vix tractari coeperat, nobis non mirum videatur neceſſe eſt, eorum carmina nullo fere artificio exculta deprehendi. Huc accedit, quod ſua linguae cuique eſt indoles atque ingenium, ex quo pendeat univerſa carminis ratio et magna ex parte etiam ſtyli poëtici color. Cum vero Judaei his ſermonibus prophetarum poëticis adſueti eſſent, Jeſus eandem dicendi viam ingreſſus eſt hoc conſilio, ut facilius doctrinae ſuae conciliaret audientium animos majoremque omnino in eos haberet vim. Sed haec hactenus. Nunc veniamus ad eos ſermones Chriſti, in quibus inprimis imagines poëticae de medio ſumtae deque rebus maxime notis, communibus et pervulgatis adhibentur. Quibus in ſermonibus cum Jeſus ſemper fere res in communi vita poſitas cum regno divino (βασιλεία τοῦ θεοῦ), his in terris conſtituendo comparet, haud injuria illi parabolicorum nomine inſigniti ſunt. Conſentaneum igitur eſt, paulo adcuratius de his parabolis exponere.

Cum omnis poëſis plurimum verſetur in iis imaginibus transferendis, quae per ſenſus maximeque per viſum animo inprimuntur, tum parabolicae Chriſti orationes optimo jure poëticae adpellari poſſunt. Nam Jeſus uſurpat in ejusmodi ſermonibus ſemper imagines ex univerſa undique natura, ex moribus hominum aliisque rebus in vita communi obviis deſumtas, quoniam illae admodum evidentes et clarae ſunt, diligenter eas evitans, quae ratione et argumentatione conquiſitae minus perſpicue proponi poſſint. Quae imagines

crebro a Jesu adhibitae, cum infinitam sane metaphorarum copiam praebeant, exsistit oratio plana et concinna, ita, ut illarum *) usus apud Hebraeos vates non modo in se elegantissimum esse videamus, sed etiam, quam ille exseruerit in Hebraeorum animos vim, quemque cum eorum rebus, sensibus et opinionibus habuerit nexum et necessitudinem intelligamus. Et quis ignorat, perspicuitatem non ultimum locum inter virtutes poëticae dictionis occupare?

Elocutionis poëticae, optime statuit Aristoteles **), in eo positam esse virtutem, ut sit perspicua nec tamen humilis. „Dictionem, inquit, maxime perspicuam faciunt usitata et propria; sed etiam humilem; grandem quidem reddunt peregrina et arcessita, sed saepe etiam obscuram. Ex iis, quae vocat peregrina, praecipua vis est metaphorae; sed ut modicus et opportunus ejus usus illustrat orationem, ita frequens obscurat, continuus etiam in aenigma exit.“ ***) Si ad haec clarissimi philosophi praecepta revocandi sunt et exigendi sermones Christi poëtici, id certe facile concedetur, Jesum orationis granditati et poëticae efficaciae metaphorarum copia et splendore abunde consuluisse.

Gravis sane quaestio est eademque quibusdam difficultatibus obstructa de Christi parabolicarum, quas adpellamus,

---

*) Storr de parab. Christi in opusc. acad. Conz *morgenl. Apologen* etc. 1803.

**) Poëtic. cap. XXII. ibidem.

***) Quinctil. VIII, 6.

orationum natura poëtica. Interpretes librorum sacrorum valde de hac re inter se discrepant. Multi fuerunt, qui conferrent parabolas Christi cum Aesopi *) apologis. Ut in his apologis, ajunt illi, comparationes occurrunt sive occultae sive apertae, quae quascunque sententias aut res in facto positas illustrent, ita quoque parabolae Jesu imaginibus distinctae sunt tanquam luminibus aut e rerum natura aut e vitae usu depromptis, quibus aliquae notiones magis abstrusae et reconditae innuantur et explicentur. Huc accedit, quod concinnitate orationis, quae in fabulis Aesopi praecipua est, eadem sermones parabolicos Jesu sive ad didacticum sive ad sententiosum orationis genus pertinentes praecellere, in aprico est. Inde igitur patet, parabolas in N. T. obvias apologis Aesopi cognatas esse.

Nihilo minus tamen in eorum sententia aliquid delitescit, quod impediat, quo minus in eam abeam. Qua de re cur mihi secus videatur, paucis nunc ostendere liceat. Cum Aesopus in fabulis tantum sententias ex vitae usu collectas per comparationes ex iis rebus, quae in sensum cadunt, sumtas proponat, hoc consilio, ut hominum animos ad virtutem informet, exemplis dirigat, et emendet: apologi ejus probe discernendi sunt a parabolis Christi. Quae parabolae ita comparatae sunt, ut in ipsis de rebus nostro captu usuque vitae superioribus agatur. Res primaria, ad quam in ejusmodi sermonibus Jesus respicit discipulorumque animos acriter attendere studet, est haud dubie regnum divinum (βασιλεία τοῦ θεοῦ), in his terris in-

*) Storr cf. lib. supra commemorat. et Conz.

ſtaurandum (cf. Matth. XIII, 1—9, 24—31—34. et alia innumera loc., ubi de vera religione ejusque intelligentia diſſeritur). Nam cum Apoſtolorum animis opinio, Jeſum eſſe talem Meſſiam, qualem Judaei exſpectarent, ab initio alte infixa inhaereret, Jeſus inprimis in eo elaboravit, ut illam evelleret et aboleret. Ut vero radices alte defixae non uno veluti ictu excidi ſolent, ita quoque Apoſtolis tantum, propoſitis parabolis, ſenſim vanitas hujus ſententiae perſuaderi poterat. Inde eluceſcit, Jeſum in tradendis parabolis prorſus diverſum ab Aeſopo conſilium ſequutum fuiſſe et ideo utramque inter ſe eſſe diſtinguendam. Etſi, quae de diſcrimine inter parabolam et apologum Aeſopi intercedente dici poſſint, multa reſtant, tamen anguſtiis temporis oppreſſus non poſſum non, ut diſputationi de hac re finem imponam, et obiter aliorum *) de parabolis Jeſu commemorem opiniones. Alii ſibi perſuadebant, magnam parabolis N. T. ſimilitudinem eſſe cum philoſophico mytho, alii cum epico carmine, in quo tanquam de notione regni divini (βασιλ. τ. θεου) et de ſucceſſu, quem illud habiturum ſit, adcuratius exponatur. Cum vero argumenta, quibus hae

*) Krummacheri ſentent. de hac re juvabit attigiſſe: *Man betrachte alſo, um in einem Gleichniſſe zu reden, das unter Jeſu Leitung einzuführende Gottesreich, als eine ſich nach und nach geſtaltende Handlung eines Epos, deſſen erſte Keime ſchon in der jüdiſchen Oeconomie des Alten Teſtaments längſt vorbereitet lagen, das aber in Jeſu Seele ſich zu entwickeln begann und welches in die Ewigkeit hinüberreicht. Die Gleichniſſe hatten daher nicht eine moraliſche, ſondern eine politiſch-religiöſe oder theokratiſche Tendenz.*

ſententiae innitantur, tam late pateant, quam quae paucis verbis refutari poſſint, tantum hoc addere liceat, parabolicum ſermonem N. T. pro novo quodam et prorſus peculiari orationis genere habendum, nec ad praecepta Ariſtotelis *), etſi ſagaciſſimi philoſophi et critici, revocandum eſſe et exigendum. Minime enim addubitaverim, hebraicae poëſeos indolem prorſus alienam eſſe ab Graecorum et Romanorum poëſi. Sed haec ſolummodo attigiſſe et tamquam praelibaſſe ſufficiat, in altera parte diligentius pertractanda. Nihil denique mihi antiquius eſt, quam, ut Vos, Viri perilluſtres, rogem, ut ignoſcatis, ſi quae et ad Veſtram gravitatem et ad totius rei amplitudinem non ſatis accommodate dicta ſint. Id in poſterum ſedulo enitar, ut ingenium, eruditionem, copiam caeteraque, quae mihi deeſſe ſentio, omnia, ea quantum poſſim cura, diligentia et labore compenſem.

---

*) Rhetor. 2. 20. ſub voce παραβολὴ intellexerunt Graeci rhetoricam comparationem, Lessing eandem huic verbo ineſſe putabat ſignificationem.

PARTICVLA II.

Πάντα δοκιμάζετε καὶ τὸ καλὸν κατέχετε!

Paul.

Opinione, parabolas Christi imaginem referre apologorum Aesopicorum, in priori libello refutata, nunc quaestionem, utrum parabolas philosophico mytho et epico carmini bene comparare liceat, nec ne, enodaturi pergimus. Hunc tamen locum non ita adgredior, ut rem ipsam multum illustraturum me sperem, sed ut quaeram potius, num quid certi possit de similitudine, quam mythus cum parabola habere videatur, definiri; atque id ipsum breviter cauteque, ut qui hujus argumenti, veluti freti cujusdam naufragiis infamis, extremam tantum oram legere ausim.

Impugnaturi sumus ante omnia eorum sententiam, qui sibi habeant persuasum, non conferri posse philosophicum mythum parabolae Jesu Christi propterea, quod in eo, omni poëtici styli colore neglecto, tam simplex et omnibus veneribus destituta oratio abhibita sit, ut homines poëticae artis periti non nisi aegre ejus lectionem sustinere possint. Philosophico in mytho ne grandem inveniamus orationem, sententiis densam, troporum copia et metaphorarum splendore exornatam et denique sibi semper instantem, id in causa est, quod hebraici poëtae antiquissimo aevo florentes nunquam sese ab illa recta et simplici, in qua summam poëtae laudem sitam esse

haud perperam exiſtimabant, imitatione naturae averti paſſi ſunt Huc accedit, quod, ſi memoriam temporum replicare et monumenta hiſtoriae excutere velimus, deprehendemus, qua conſuetudo ſententias quasdam philoſophico mytho involutas proponendi obtinuerit, ea aetate artem poëticam incultam neglectamque jacuiſſe. Quamvis igitur tantum abſit, ut mythus comto et gravi ſermone et verborum ſententiarumque cultu et minime vulgati generis artificio commendetur, ut quandam orationis jejunitatem oſtentans omni lepore et feſtivitate dicendi carere videatur: tamen nativa quaedam jucunditas et gratia orationis in eo latet, qua omnes elegantiae ſenſus haud expertes inſigniter oblectentur. Ego ſane mallem, ſemper in hac recte conſcribendorum poëmatum via Hebraei perſtitiſſent. Sed cum illi ſequiore tempore ad elegantiora carmina componenda progreſſi ita in poëtica arte profeciſſent excolenda, ut elegantis doctrinae tractatione longe ſuper caeteros populos florentes in omnium animis admirationem excitarent maximam: paulo poſt ita ingenia in deterius delabi coepere, ut eorum opera ab aequalibus lecta laudarentur quidem, ſed ſequente tempore oblivione obruta perirent. Mirum ſane eſt, quanta quam brevi tempore conſecuta ſit mutatio. Hujus vero cauſa inde repetenda eſt, quod poëtae ſequente tempore quoddam orationis genus inflatum et tumidum invexerant, quod, cum a vera naturae imitatione deflecteret, ſimplicem hebraici ſermonis elegantiam contaminaſſe nemo non videt.

Ut quisque ſequiore aetate carmina maxime inflaverat, ſententias, neglecta omni recte ratiocinandi ratione, maxime

contorserat et denique eo modo versus suderat, quo nemo ante componere soleret: ita in pretio haberi et auctoritate quadam pollere coepit. Sane Hebraei respectu hujus rei cum Romanis commune aliquid habere videntur, apud quos cum poëtica ars a rudibus principiis profecta per multos gradus ad Virgilium et Horatium pervenisset: paulo post adulterina quaedam poëseos et eloquentiae species fucatusque orationis splendor ab hominibus, qui partim nullum partim corruptum ac depravatum verae eloquentiae gustum habebant, *) tantis laudibus celebrabantur, quantis vix antea opera eleganti et vere poëtico sermone composita efferri consueverant. Quid? quod multi homines hoc vitioso orationis splendore obcoecati eo procedebant temeritatis, ut dicerent, nullius libri et veteris et novi lectione tantopere animum humanum commoveri et incendi posse, quam carminibus ejusmodi sermone conscriptis. Quis vero est, qui judicium de eximia poëticae artis dignitate et vi laturus sententias ab hominibus verae poëseos gustu destitutis

---

*) Vid. locum huc pertinentem in Mureti epistolis obvium Lib. II. ep. X.

Lowthii libellum praeclariss. de Sacra poësi Hebraeorum loc. in praelect. VI. acad. obvium.

Aristotel. Rhet. nonnulla loca, quae hanc rem passim attingunt. cf. Cic. Top. 2. deinde Quinctilian de Institut. Orat. l. XI cap. 3. §. 67.

Cf. Horatii art. poët. v. 9. 10.

Denique haud poenituerit legisse, quae praecipit Beattie Anglus in libro: *philosophische Versuche* part. I p. 52 seqq.

de hac re prolatas consulat? Quis eas sequetur? Patet igitur, poëtae laudem sitam esse in simplici et recta naturae imitatione. Quae cum praecipua sit in mytho philosophico: non dubium est, quin cum parabola Christi recte et sagaciter conferatur.

Probata igitur mythi philosophici poëtica dignitate, nunc redeamus ad id, unde nostra huc digressa est quaestio, discrimen, quod intercedat inter parabolas Christi et philosophicum mythum.

Cum parabolae inprimis res, quae non, nisi ex aliquo eventu insequente tempore tandem adparituro intelligi possint, doceant, eas ad philosophicum mythum admodum prope accedere, vix potest ambigi. Diversitas vero utriusque in eo versatur, quod mythus res haud in facto positas ita declarat, ut vere evenisse videantur et in legentium animis de veritate earum sibi persuadentibus ne tenuissimus quidem scrupulus resideat. Sed egregie lectores delusi sunt. Nam etsi philosophicus mythus omnes res, (de quibus plerumque agit) gestas tam perspicue proponit, ut lector cupiditatem ipsius animo alte injectam verum mythi sensum indagandi indagatumque ponderandi primo tanquam obtuitu expletam esse male sentiat: in iis tamen semper sententia ad quaedam futura eventa adludit, quam nostra ratio in cogitando et ratiocinando exercitatior facta ocius serius extricare extricatamque pro vero totius mythi argumento habere debeat. Parabola vero ideas per obscuras imagines propo-

ſitas et in latebris tanquam latentes ita tradit, ut, eorum ſenſu primo tanquam obtuitu perſpecto, lector eodem intelligentiae, quem auctor parabolae obtinuerit, loco conſtitutum eodemque adfectu, quo ille cum ſcribere parabolam agitatus fuerit, ſeſe pertentatum eſſe ſentiat. Mythus philoſophicus etiam diverſus eſt a parabola eo, quod nimis ſollicite nonnunquam ſequutus naturam ducem, monitis praeceptionibus et nudis ſententiis efficit, ut lectoris animum taedium capiat. Parabola contra, ſuavitate et pulchritudine imaginum fabulae artificio et imitationis veritate haud ſollicite quaeſita intimos animi ſenſus penetrans, homines bonae indolis honeſti ſpiritu quodam imbuit imbutosque ad omnem virtutis habitum informat. Mythus philoſophicus graecus igitur magis conſilio, quod in ipſo conſcribendo ſequutus eſt poëta a parabola Chriſti differt. Poëtae hebraei cum non niſi res noſtro captu uſuque vitae, ut ſupra monuimus, ſuperiores dignas haberent, quae ab ipſis laudibus poëticis efferrentur, conſilium in pangendis carminibus a Graecis poëtis prorſus declinans ſequuti ſunt. Itaque parabola propterea tantum imagines e natura captatas proponit, ut ex iis, quid ſummum et homine dignum ſit perſpiciamus, ita ut inde reſpectu noſtrae rationis ſubigendae et animi emendandi uberrimos percipiamus fructus. Hinc factum eſt, ut prophetae omnesque reliqui vates hebraei ejusmodi parabolis crebro uterentur, cum his uſi facilius pro legatis vere divinis poſſent haberi. Nam opinio, prophetas in familiaritatem quandam intimam Dei veniſſe, tam

late serpserat tamque alte in animis Hebraeorum hominum infixa haerebat, ut sine ulla retractatione eorum effatis etiamsi nonnunquam fictis fidem haberent firmissimam. Quam opinionem ad nostra tempora traductam et servatam multi interpretes Scriptt. Sacrr. recentiore aetate florentes ita fovent, ut quae in libris N. et V. T. super variis rebus tradita cogitationibus et sententiis hominum illius aevi respondeant, in alium, quam quo a primis lectoribus accipi potuerint et ex mente scriptorum ipsorum adeo intelligi debuerint, sensum eundemque commodiorem, praestantiorem et magis poëticum e sentiendi cogitandique ratione nostra, esse detorquenda, sibi persuadeant, monentes, omnibus, quas prophetae divino spiritu perculsi tradiderint, rebus quemcunque obtrudi posse sensum. Si quid vero sentio, tum qui in nonnullis scripturae sacrae locis admodum sublimem quendam, quo saepe penitus carent, sensum latere contendunt, tum qui jejunitatem orationis, haud gravibus argumentis prolatis, iis vitio vertunt, cupide id faciunt utrumque: quandoquidem judicium utrinque latum non ita rationibus probari potest, ut, quod probabiliter contra dicatur, nihil omnino restet.

Quod denique reliquum est, expositiuri sumus de similitudine, quae inter epicum carmen et parabolam sive omnino dicta a Jesu edita intercedit. Quo luculentius e descriptione characteris parabolarum Christi proprii supra proposita adparet, eas poëticam habere indolem, eo facilius demonstrari

potest, nihil esse tam cognatum epico carmini, *) quam Christi parabolas. Cum enim poëtae ut in omnibus carminibus ita quoque in epopoeia non solum quod contigit, sed etiam quod contigisse potuit aut oportuit, enarrent; nec quo facti necessitas, sed documenti opportunitas vel probabilitatis ratio cogit, eundum arbitrentur, quamque fortuito elucentem veritatis imaginem sedulo captantes, quis est, quin lubenter largiatur, Jesum, quoad parabolas **) omnes poëtas,

---

*) Krummacheri libel. supra commemorat. *über d. poetischen Reden Jesu.*

**) משל assimulavit, comparavit, parabolice loquutus est; proverbia, sententias graves et acutas, orationem comparationibus et figuris ornatam edidit: item dominatus est, eminuit, antecelluit, habuit auctoritatem; delegatam fortasse et vicariam primo et restrictiore sensu, unde demum laxius de quovis domino usurpatum: Abrahami certe servus senior, quem familiae praefecerat, dicitur: המשל בכל אשר לו Gen. 24, 2. Erat nimirum procurator, domini vices gerens, ipsumque, delegata, auctoritate repraesentans; unde elucet inter duas hujus radicis notiones aliqua cognatio in eo posita, quod tam imago parabolica, quam procurator deputatus alterius cujusdam vice fungatur. משל itaque est oratio clara et gravis, magna vi et auctoritate pollens, comparationibus, imaginibus, figuris multum ornata; qualis est Psalmorum, Prophetarum et Jobi stylus: est dictio, quae sub una imagine atque exemplo alia, quam plurima includit et ad caetera omnia ejusdem generis facile transferri potest; quae proverbiorum plerumque est ratio: est denique quaevis sententia sive axioma scite graviterque dictum, paucis concinnatum et ad γνωμων formam compositum uti ex 1 Sam. XXIV, 14. et multis exemplis parabolarum Salomonis constat. Arabice

qui in eo genere excelluerunt, aequiparare. Nonne enim in aprico eſt, omnia, quae modo de epopoeia dicta ſunt, parabolis competere? Cum porro omnes parabolae, ſi diligentius in ordinem quendam rediguntur, per jucundas rerum ambages tanquam florentiſſimi campi et variis florum coloribus diſtincti ſpatia lectorem circumducentes levius gravius commoveant neque, ipſa adfectuum arce protinus expugnata, continuo, ut ode, percellant, quandam cum epico carmine habent ſimilitudinem. Huc accedit, quod in parabola ſuaviſſima rerum varietas et elata perſonarum in ſcenam productarum gravitas, quae cum ſenſim ſeſe inſinuet, moveat atque delectet, lente, caute, conſiderate, ideoque forſan et certe finem ſuum conſequitur. Iisdem virtutibus epopoeia inſignis eſt. Quis enim ignorat, illam rerum et heroum, quos inducit, jucunda varietate et quadam granditate gaudere, quae lectorum animos mox percellat, moveat mox delectet, ad honeſtatem omnem erigat et a ſcelere absterreat, nunc impetum faciens nunc deinde recedens? Et

מתל (nam ש et ת ſunt literae commutabiles) effigiavit, expreſſit ſimilitudine imitatus eſt, aequiparavit, parabolam ſeu paroemiam inſtituit, exemplum ſtatuit etc. משל igitur parabolam vocant plerumque interpretes; verbo aliqua ex parte non incommodo, ſed quod totum Hebraeae vocis ambitum minime complectitur; cujus ſi vim atque uſum inveſtigemus, ea inveniemus, tria potiſſimum ſignificari; ſententioſum, figuratum et ſublime dicendi genus. —

quis est, in cujus animo lectione Homericarum de heroibus narrationum non voluptas et motus excitetur, sensus boni, pulchri rectique foveatur et denique studium virtutis illeque animi vigor sustentetur qui libertatis est alumna idem et custos? Nonne ardemus, lectis carminibus epicis, cupiditate, illas elatas heroum imagines a poëtis ad naturae exemplar expressas imitandi eorumque premendi vestigia?

Sed quanto nostrae parabolae epico carmini anteponendae sunt! Nam parabolae non solum, ut omnia carmina epica et alia quiddam divini sapiunt, quod non modo mentem discendi cupidam ad pulchra, decora, ardua evehat atque accendat, optima vitae praecepta jucunde tradita quodammodo ei inserens et infundens, sed etiam animum defessum a vehementi contentione relaxet, turbatum leniat, attritum reparet et oppressum erigat. Praeterea habent aliquid, quod tecte ad sortem Christo instantem miserrimam adludat quodque nostram animum flagranti virtutis amore et insigni erga servatorem observantia implere sentiamus. Quoties enim Jesus sermones cum discipulis contulit, toties fere mortis sibi imminentis periculum modo tecte modo aperte praedicit. Et cum inter omnes constet, propheticam poësin ornatiorem, florentiorem et imaginibus uberiorem (iis nimirum, quae in stylo parabolico communes sunt et veluti publici juris quaeque a rebus certis ac definitis ad notiones infinitas et universales signandas, servata quadam analogia, transferuntur) quam ullam aliam poëseos speciem esse, non possumus, quin parabolas Christi multas epico

carmini praeferamus. Nam sane admodum elatam orationem adhibet Jesus, cum de futuris rebus verba facit. Cum vero in Homeri et Virgilii scriptis etiam vaticinia occurrant, quae verborum granditate et sententiarum pondere conspicua sint; extra omnem dubitationem positum est, parabolam saltem respectu vaticiniorum epopoëiae similem esse. Attamen minime inficiandum est, utramque aliquatenus inter se differre. Epopoeia tantum res terrestres, fluxas et caducas tractat, acquiescens in diis atque heroibus humanitus describendis. Nam cum superis in omnibus carminibus Graecis et Latinis humani adfectus, humana etiam membra tribuantur, quid mirum? omnino poëtae antiqui divinam majestatem nunquam digne expressisse sed potius, quantum in ipsis fuit, imminuisse et violasse videntur. Nonne deos ita infra humanam sortem depresserunt, quos laudibus vere divinis efferri oportuit? Deinde epopoeia heroas in scenam producit mortales et imbecilles, quorum vita arctis finibus circumscripta praecipiti cursu ad interitum ruit; Parabola contra de rebus vere divinis disserit et Jesum mere divinum legatum loquentem et agentem inducit de eo non, nisi de mero deo, certe homine prorsus singulari divino auxilio adjuto, sermonem faciens. Jesus igitur cum ab omni laudis, gloriae atque lucri studio alienus et vitae sanctitate pariter atque insigni animi constantia conspicuus esset, quam quo praeclarius rebus bene gestis et pericula omnis generis subeundo prodidit, eo magis ejus nascenti et in dies crescenti gloriae mortem invidisse maturam eandemque cruentam, Christianae religionis adseclae doluerunt et nunc dolent, supra omnes heroas

in carminibus epicis maximis laudibus celebratos longe excellit. Sed haec commemorasse de similitudine et discrimine inter parabolas Christi et epopoëiam intercedente sufficiat. Nunc progredi liceat ad alteram partem nostrae dissertationis, in qua contenditur, vim poëticam Christi et Apostolorum sermonum magni esse momenti et ponderis defendendam. Quoties legi, Platonem Graeci nominis decus, quem, cum acerrima mentis sagacitate pariter atque praecipua et ampla eruditione omnibus suae aetatis philosophis longe antecelleret, aequales et posteri admirabundi suspexerunt, in libello de Republica, *) omnes poëtas, quales tum temporis erant, de civitate sua commentitia ejiciendos censere, ne quid detrimenti civitas capiat: toties, qui acciderit, ut hic magnus vir de re gravissima admodum perversum ferret judicium, quo hominis ingrati crimen ipse admitteret, magnopere miratus sum. Nam cum ille praeclarissimus antiquitatis philosophus ex poëseos fontibus dulcem illam orationis ubertatem et flumen **) eloquentiae,

---

*) Lib. III. pag. 617. edit. Fic.: Ἄνδρα δὴ, inquit, δυναμενον ὑπο σοφιας παντοδαπον γιγνεσθαι και μιμεισθαι παντα χρηματα, εἰ ἡμιν ἀφικοιτο εις την πολιν αὐτος τε, καὶ τα ποιηματα βουλομενος επιδειξασθαι, προσκυνοιμεν ἀν αὐτον, ὡς ἱερον και θαυμαστον, και ἡδυν. εἰποιμεν δ' αν, ὁτι οὐκ ἐστι τοιουτος ἀνηρ ἐν τῃ πολει παρ' ἡμιν, οὐτε θεμις ἐγγενεσθαι· ἀποπεμποιμεν τε ἀν εἰς ἀλλην πολιν, μυρον κατα της κεφαλης καταχεαντες, και ἐριῳ στεψαντες.

Hoc Platonis consilium singulari dissertatione defendit Maximus Tyrius, quae est dissertationum VII. Heraclides vero Allegor. Homer. c. 4. Platonem vehementer et acerbe vituperat.

**) Quanta gravitate et efficacia Plato docuerit quantaque oris suavitate et orationis dulcedine omnium animos sibi conciliare potuerit,

quo omnium animos sibi devincire solebat, derivasset, eum sui ingenii nitorem atque cultum cumprimis huic perutili arti debere, extra omnem dubitationem est positum. Quis vero ignorat, nihil esse tam absurdum atque ineptum, quin ab aliquo philosopho dici possit? Percurrat mihi aliquis omnem deinceps philosophorum et oratorum seriem quorum quidem memoriam temporis vetustas non abolevit, videatque, an philosophi tot ac tanta in rempublicam, in qua vivebant, commoda unquam redundaverint, quot et quanta semper a poëtis in eam conlata sunt. Quare quoque aevo poëtarum major erat laus atque perennior, quam philosophorum, quorum nomina tamdiu laudibus celebrabantur maximis, quamdiu eorum systemata philosophiae novitatis gratiam ostentantes legentium animos adliciebant. Nam constat, copiam philosophorum et vetere et recentiore aetate florentium semper tantam fuisse, ut, qua aetate unus poëta, qui in suo genere excelleret, prodierat, eadem ingens philosophorum turba ratiocinando et argumentando ingenii

---

antiquus scriptor (cujus nomen mihi non statim in mentem venit) declarat ita, ut dicat: Platonis discipulos ingenue professos fuisse, eum tam suaviter tamque poëtice loquutum fuisse, ut, Jovem coelo descendisse, non potuissent non sibi persuadere. Cum hoc de Platonis oratione judicio a discipulis ejus lato aliud quoddam effatum a scriptore quodam memoriae proditum aliquid commune habet, quo Platonem puerum aliquando dormientem crebro innumeras apes susurrantes circumvolasse ejusque ori mel infudisse dulcissimum, disertis verbis demonstratur. —

vires agitaret et scripta nonnunquam admodum fatua ab ipsis edita popularibus invitis obtruderet.

Ex illorum vero genere, qui nativa facultate quodam carmina pangendi exsplendescerent, non esse nunc, nec fuisse olim admodum multos, nemini mirum videatur, qui meminerit, poëtas non fieri, sed nasci. Nonne, quos natura quodammodo ad carmina componenda finxerit, eos tantum poësin ad fastigium suum et culmen evexisse versusque, qui diligenter metris quibusdam adstricti atque omnibus eloquentiae luminibus sparsi, dulci sono aures tenerent et audientium legentiumque animos adficerent insigniter, sine ullo labore fudisse, e monumentis historicis exemplis satis perspeximus? Quamquam permulti profecto, eximia ingenuarum artium scientia perpoliti, sed a natura ad quandam ingenii mediocritatem depressi operam dant, ut in arte poëtica tractanda capiant progressus, nulla tamen diligentia ac studii adsiduitate consequi poterunt, ut aliquo inter poëtas numero ac loco habeantur. Nam cum illi suis se viribus non satis valere sentiant, ad aliorum se comparare imitationem et petitam, aliunde sive rerum materiam sive orationis formam, pro suarum quisque facultatum modo, elaborare solent, quae etiamsi nonnunquam nova induta est facie, tamen non nisi pro crambe repetita haberi potest. Quid igitur? qui minus ingenio valent et infra clarorum antiquioris et recentioris aetatis poëtarum altitudinem subsistunt, eos nunquam eam praestantiae laudem adsequi posse, quam poëtae, qui suis

tantum viribus confisi et sui ingenii impetum secuti carmina, nullo fere adhibito labore, praeclarissima scriberent, sibi pepererunt in aprico est?

Cum enim homines magna cum admiratione viderent, neminem esse, duntaxat eorum, qui hebeti penitus ingenio non sint, qui non studii diuturnitate, labore atque vigiliis in arte philosophandi, si minus excellere, tamen ultra mediocritatem aliquam adsurgere possit; in poësi contra non nisi ingenia singulari auxilio a natura adjuta super vulgus eminere, immo ad summum gloriae fastigium eniti posse: semper praeclaros poëtas philosophis anteponere haud dubitabant. Sed in illa quaestione disceptanda, utrum philosophis, an poëtis principatus sit deferendus, non esse putamus, cur operam et tempus consumamus.

Quare statim enumerare liceat quaedam beneficia a poëtis in rempublicam redundantia, ex quibus satis adpariturum esse spero, quam vana sit Platonis *) opinio, non nisi philosophos imperare aut reges philosophari debere, ne a

---

*) Quod, ut rectius intelligatur, in iis, quae sequuntur, philosophi notionem format et more suo interrogando elicit in lib. de Republica l. V. pag. 665. τον δε δη, inquit, εὐχερως ἐθελοντα παντος μαθηματος γευεσθαι, και ἀσμενως ἐπι το μανθανειν ιοντα, και ἀπληστως ἐχοντα, τουτον ἐν δικη φησομεν φιλοσοφον.

poëtis et artificibus reliquis bonis moribus damnum inferatur aliquod. Quod ne quis in aliam, atque ipse volo, sententiam dictum accipiat et ad invidiam Platoni faciendam trahát, vix verendum mihi videtur; probari enim potest, sententiam ab eo de poësi latam argumentis et diligenter excogitatis et artificiose pertractatis innixam esse eumque omnino de Atheniensium civitate optime meritum fuisse.

Quis vero ignorat, quantum contulerint carmina efficaciam et sublimitatem spirantia antiquissimis temporibus ad instituendum, formandum, emendandum genus humanum et excitandum omnis honesti decorique amorem? Nonne Orpheus primus idemque admodum gravi et entheo oestro percussus Graecorum poëta omnia, quae in natura rerum grandia, pulcra et admiratione digna sunt, tam suavi, elata et numeris placide fluentibus venusta oratione cecinit, ut homines e pristina illa feritate ad mansuetudinem traducens sensu verae pulcritudinis et elegantiae imbueret. Profecto hujus poëtae laus et claritas, qui, cum in Tartarum Eurydicen a Plutone omnibus precibus rogatum descendisset, dulci carminum decantatorum et lyrae suaviter pulsatae concentu adeo ferinum Cerberi animum, ut in mythis traditur, molliebat mollitumque sopiebat, nulla saeculorum vetustate obscurata, nunc quoque intelligentissimi cujusque praedicatione celebratur. Cujus poëtae si nulla exstitissent carmina artificiose et elate composita de salute civitatis Lacedaemoniae et Atheniensis omnibus, in quibus mortales summam laudem et felicitatem ponere solent, rebus florentissimae, actum

fuiſſet. Nam, ſtrata jam ab Orpheo et aliis ad adyta Muſarum via, poëtae ſerius efflorefcentes, faciliori opera et exercitatiore manu carmina exarare poterant, quae cum ob orationis granditatem et venuſtatem, tum ſententiarum pondus probata, multum ad inflammandam patriae caritatem et ardorem pugnandi, acuendam prudentiam, moderandam denique religionem valuiſſe, qui diffiteatur, nemo, opinor, hodie reperietur. Nam horum virorum judicium lectione carminum ab Orpheo aliisque poëtis antecedentibus conſcriptorum limabatur auriumque ſenſus paullatim ita acuebatur, ut facile bene ſtructam orationem a diſſoluta, aſperam et hiulcam a levi et numeroſa, facile ipſo earum judicio dignoſcere poſſent. Praecipue igitur in eo elaborarunt illi, ut pro ſua quisque animi magnitudine et generoſitate ſententias parerent magnas et admirabiles, quas nulla alieni exempli imitatione adjuti, grandi, ſublimi numerisque adſtricta oratione exprimerent et veſtirent, ubique graviter monentes, quid turpe, quid honeſtum, decorum facetumque eſſet. Ut magis vero virtutis dignitas et honeſtatis pulcritudo eluceſceret, illi egregia maximorum virorum exempla poſteris tradiderunt eorumque immortalem memoriam poëticis conſecrarunt monumentis. Nonne Homerus, Euripides Virgilius et inter recentiores Schakſpear quaſi in tabula quadam pictos proponebant heroum mores hoc conſilio, ut lectorum animos ad quodque pulcrum et homine dignum adſpirantes exemplis non ſolum dirigerent, verum etiam, ut ipſi virtuti ampliſſimam et jucundiſſimam ſuorum laborum perſolverent mercedem. Quid enim dulcius et magnificen-

tius legi poteſt verſibus Homericis, in quibus ne minutiſſima characteris Achillis aut Hectoris pars intacta relinquitur? Quibus vero verbis grandibus, aptis et perſpicius virtutes, quibus heroes exſplendeſcerent, depictae ſunt, iisdem adfectus eorum animum male agitantes deſcripti leguntur. Quo in genere adfectum zelotypiae, ejusque cauſas, adjuncta, progreſſiones, effectus, in una Schakſpearii noſtri fabula, copioſius, ſubtilius veriusque examinari et pertractari arbitror, quam ab omnibus omnium philoſophorum ſoholis in ſimili argumento eſt unquam diſputatum.

Quae honoris et gloriae cupiditas noſtris animis innata nos ad praeclara et excelſa quaevis acerrime ſtimulat, eam cumprimis carmina elata nutrire et augere porro monendum eſt. Nonne poëſis permultum habuit momenti in fovendo illo animi vigore atque generoſitate (ἀξιωσει), quae libertatis amorem ſuſtentat ac ſuſtententatam tuetur quamque in Graecis hominibus praeſertim emicuiſſe, conſtat? Cui liberalioris ingenii ignotum eſt illud Σκολιον Calliſtrati, neſcio cujus, ſed ingenioſi certe poëtae, quod, cum per omnium ora volitaret, praecipue impediebat, quominus Athenis tyrannis quorundam imperium ſibi vindicare cupientium inſtauraretur? Omnes boni cives propterea ſemper illud carmen in omnibus conviviis decantare ſolebant, quod ſic ſonat:

Εν μυρτου κλαδι το ξιφος φορησω *)
Ωσπερ Αρμοδιος κ' Αριστογειτων,
Οτε τον τυραννον κτανετην,
Ισονομους τ' Αθηνας εποιησατην

*) Athenaeus lib. XV. Σκολιον hoc nonnulli Alcaeo tribuerunt: quod temporum ratio non fert. Floruit enim Alcaeus annis circiter octoginta ante Hipparchi necem. Sed et auctoris nomen ab interitu vindicavit Hesychius: Αρμοδιου μελος· το επι Αρμοδιῳ ποιηθεν σκολιον ὑπο Καλλιστρατου ουτως ελεγον· Erat autem hoc Σκολιον Athenis ita celebre, ut in omnibus conviviis cantari solitum esset. Aristophanes, Αχαρ. 977.

Ουδε ποτ' εγω πολεμον οικαδ' υποδεξομαι,
Ουδε παρ' εμοι ποτε τον Αρμοδιον ασεται
Συγκατακλινεις, οτι παροινικος ανηρ εφυ".

„Nunquam apud me Harmodium canet." hoc est: nunquam apud me conviva erit. Ubi Scholiastes: εν ταις των ποτων συνοδοις ηδον τι μελος Αρμοδιον καλουμενον ου η αρχη, φιλτατε Αρμοδιε, ουτι που τεθνηκας. Item ibid. 1092 inter caetera in adparatu coenae numerantur

Ορχηστριδες, τα φιλταθ' Αρμοδιου, καλαι.

Hinc etiam allusum Λυσιστ. 633:

Και φορησω το ξιφος το λοιπον εν μυρτου κλαδι,
Αγοραδω τ' εν τοις οπλοις εξης Αριστογειτονι.

Liquet autem ex ipso Σκολιῳ, conjuratos, cum Hipparchum adorirentur, pugiones suos abdidisse in illis myrti ramis, quos, opinor, solenne erat gestari ab omnibus, qui sacrificio Panathenaico interessent: quod etiam diserte testatur Aristophanis Scholiastes ad locum proxime citatum, ουτοι γαρ (Αρμοδιος και Αριστογειτων) απο μυρσινων κλαδων τα ξιφη ανασπασαντες τον τυραννον κατεβαλον. Hinc fortasse ductus

Φιλταθ' Αρμοδι ουτι που τεθνηκας
Νησοις δ' εν μακαρων σε φασιν ειναι,
Ινα περ ποδωκης Αχιλλευς,
Τυδειδην τε φασιν Διομηδεα.

Εν μυρτου κλαδι το ξιφος φορησω,
ωσπερ Αρμοδιος κ' Αριστογειτων,
Οτ' Αθηναιης εν θυσιαις
Ανδρα τυραννον Ιππαρχον εκαινετην.

Αει σφων κλεος εσσεται κατ' αιαν,
Φιλταθ' Αρμοδιε κ' Αριστογειτον,
Οτι τον τυραννον κτανετον,
Ισονομους τ' Αθηνας εποιησατον.

Quod si, antequam Caesar imperium sibi arrogasset summum, populo Romano ex adversariis Caesaris quispiam impinxisset, haud dubie illud bellum civile funestissimum, quod, cum per totum Romanum orbem debacharetur, civitatem floren-

---

est mos, ut, qui in convivio Σκολιον aliquod cantaret, semper manu teneret myrti ramum (Vid. Plutarch. I. Sympos. Quaest. I.) quod in hoc Σκολιῳ ex re initium habuisse videtur. Caeterum hoc Σκολιον celeberrimum in versiculos suos distinxi: metroque consului legendo, Tetrasticho 1mo. pro ουπω, ουτι που cum Scholiaste Aristophanis (sunt, qui legunt ουτι πω;) pro Αχιλλευς, Αχιλευς et omittendo otiosum epithetum τον εσθλον ante Διομηδεα. Porro autem suaserunt rationes Grammaticae legendum Tetrasticho 4to Αριστογειτον pro Αριστογειτων; et κτανετον pro εποιησατον pro κτανετην, εποιησατην.

tiſſimam in deſerta convertebat moeſtiſſima, poſt Idus Martias non exarſiſſet. Nam Caeſari, decantantis ejusmodi carminibus, timendum erat, ne, declarata, rerum potiundi cupiditate ipſius animo alte infixa, occideretur. Tyrtheum *)

---

*) Conſtat etiam Solonis carminibus Athenienſes Salamina ex hoſtibus receptam fere unice debuiſſe. Hoc carmen ιομεν εις Σαλαμινα ita proponebat Solon, tanquam furore divinitus immiſſo correptus caneret et vaticinaretur — quo facto, omni mora abjecta, populus ad arma concurrebat et impetu facto, exoptatiſſimam ex hoſtibus reportabat victoriam. Hic legislator omnino multis occupationibus diſtractus et laboribus debilitatus ad poëticam facultatem confugiebat, hoc conſilio, ut vires corporis et ingenii ſui reficeret.

Ut vero ejus leges vindicarentur, licentia et ſegnities civium caſtigaretur et animi ad libertatis deſiderium concitarentur, populo ſemper carmen aliquod inculcabatur:

Εκ νεφελης πελεται χιονος μενος ηδε χαλαζης
Βροντη δ' εκ λαμπρης γιγνεται αστεροπης·
Ανδρων δ' εκ μεγαλων πολις ολλυται· εις δε μοναρχου
Δημος αϊδρειη δουλοσυνην επεσε.

Reliquiae illae, quae usque ad noſtram aetatem ſervata ſunt, ita ſe habent:

Θυμῳ γης περι τησδε μαχωμεθα, και περι παιδων
Θνησκωμεν, ψυχων μηκετι φειδομενοι,
Ω νεοι· αλλα μαχεσθε παρ' αλληλοισι μενοντες,
Μηδε φυγης αισχρας αρχετε, μηδε φοβου.
Αλλα τις ευ διαβας μενετω ποσιν αμφοτεροισι
Στηριχθεις επι γης, χειλος οδουσι δακων.
Δεξιτερη δ' εν χειρι τινασσετω οβριμον εγχος,
Κινειτω δε λοφον δεινον υπερ κεφαλης.

illum celebrem, cujus aliquae reliquiae ad nostra tempora pervenerunt, ita patriae caritatem in animis militum Lacedaemoniorum inflammasse, ut hoc carmen alta voce, pugna fervente, canentes mortem pro patria oppeterent cruentissimam, satis constat. Quid? quod hoc carmen adeo timidis et multitudine hostium magna jam dudum circumfusis animoque fractis Lacedaemoniis audaciam addidisse et fusos fugatosque ad certam victoriae spem erexisse fertur. Quod carmen cum acre, severum, fervidum et in illa gravitate censoria tamen elegans esset, non incredibile est, milites, summo animi fervore summaque firmitate et pertinacia virtutis dimicasse. Quid igitur sibi vult Plato, si dicat, in exsilium ejicendos esse omnes poëtas? Nonne, qui ad poësin tractandam incumbit, eum artem philosophandi bene callere oportet? Nonne Aeschylus non modo poëta, verum etiam Pythagoreus erat? Quem moralis disciplinae locum intactum aut inornatum hic poëta aliique tragoediarum scriptores reliquerunt?

Και ποδα παρ ποδι θεις, και ἐπ' ασπιδος ασπιδ' ερεισας,
    Εν δε λοφον τε λοφῳ, και κυνεην κυνεῃ,
Και στερνον στερνῳ πεπαλημενος ανδρι μαχεσθω,
    Η' ξιφεος κωπην, η δορυ μακρον ελων.
Ουδεποτε κλεος εσθλον ἀπολλυται, ουδ' ονομ' αυτου
    Αλλ' υπο γης περ εων, γιγνεται αθανατος,
Οντιν' αριστευοντα, μενοντα τε, μαρναμενοντε
    Γης περι και παιδων, θουρος Αρης ὀλεσῃ.

Nonne Sophocles et Euripides uterque ſapientiae laude conſpicui erant? Hic quidem ſcholas Socratis et Anaxagorae frequenter adiit et operam philoſophiae tractandae navabat, ita, ut ei a ſuis ſcenici philoſophi cognomentum imponeretur. Quid igitur aliud eſt tragoedia, quam philoſophia in ſcenam producta? Quid epopoeia aliud eſt, quam philoſophicum argumentum elatioribus et poëticis verbis traditum? Nam in aprico eſt, poëticam facultatem in his viris tantum acceſſionem quandam fuiſſe philoſophiae.

Sed cum modo ſentiam, me juſto diutius in re a noſtro propoſito aliena verſatum fuiſſe, progredi liceat ad dignitatem poëticam ſermonum Chriſti et Apoſtolorum ponderandam.

Bene ſciebat ſervator, quae ſententiae etiamſi perutiles nude et jejune propoſitae audientium mentem nonnunquam vix tangerent, easdem ſi vivis inducerentur coloribus et comparationibus et exemplis ita illuſtrarentur, ut ſpei, amoris, admirationis neque minus triſtitiae, odii, indignationis ſenſus orirentur in animo, ad magna quaevis patranda valde homines impellere poſſe. Hoc conſilio ſemper in tradendis ejusmodi praeceptis oratione non ſolum gravi, elata, verum etiam brevi et perſpicua utebatur. Permultum momenti igitur ejus oratio habuit in emendando animo humano; multi enim Ethnici ita percellebantur ea, ut praecepta a Jeſu tradita menti ſuae diligenter inculcarent et inculcatata memoria

tenere ſtuderent. In quem finem Jeſus ſententias, quarum praeſtantiam popularibus impingere vellet, collationibus ſive *parabolis* involvebat, rationem doctorum orientalium ſequutus, qui vero, cum in parabolis non ſatis aptam et vividam adhiberent rerum deſcriptionem, longe Domino poſtponendi ſunt. Patet hoc e parabola v. c., quae in Luc. XII, 15 — 22 prodita exſtat, ubi Jeſus monet, nobis cavendum eſſe a nimio bonorum fluxorum amore, ſcite addens, omnes opes cum caducae eſſent, nos ſummam felicitatem ponere oportere in adſequendo regno divino. (βαλ. τ. ϑ.) Deſcribitur in h. l. *quidam dives, qui, cum arva meſſuiſſet ſua, quae tam uberes tulerant fruges, ut horrea eas non capere poſſent, conſilium iniit, horrea ampliora exſtruendi opesque in acervum tanquam congeſtas in iis reponendi. His vero frugibus in horreis ſuis repoſitis, opinabatur ille, ſe beatam geſſurum eſſe vitam.* Deo vero ſic non placitum eſt. Sed inde ab hoc loco Deus loquens inducitur haec: ἄφρων, ταυτῃ τῃ νυκτι την ψυχην σου ἀπαιτουσιν ἀπο σου· ἃ δε ἡτοιμασας, τινι εσται· Ουτως ὁ ϑησαυριζων εαυτω, και μη εις ϑεον πλουτων. Quo gravior haec eſt Dei oratio, quo inopinatius ejus vis legentium animos opprimit, eo vehementius et gravius mentem humanam commovet. In hac parabola omnes virtutes orationis bene conſtructae mirabili concentu tanquam convenire videntur, quas ſupra de ſermone Chriſti praedicare haud dubitabam. Oratio haec gravis, perſpicua et admodum brevis deprehenditur. Quidquid vero ad naturae ſimplicitatem et nativam venuſtatem, ut omnes orationes Jeſu et Apoſtolorum, ita eſt

conformatum, ut nihil ornamentorum exſtet, nihil ab arte adſcitum emineat, id eſſe difficillima opera exarandum, facile, qui ejus rei periculum fecerit, animadvertet. Num eadem gravitatis ratio et ſimplicis illius venuſtatis in Rabbinorum ſcriptis eſt praecipua, qua in commentariis veterum Hebraeorum vatum tantopere capimur, quam, ut Quintiliani verbis utar, *) cum te facile credideris conſequi imitatione, non poſſis? Sane ſemper Jeſus indefeſſa diligentia in eo elaboravit, ut orationem Rabbinorum frigore torpentem, tumore languidam et hyperbolarum immanitate intolerabilem emendaret eamque venuſtam, ſimplicem, gravem et pleniorem redderet, ita, ut quas illi adhibuerunt parabolas, easdem uſurparet. Illi Rabbini, qui vocantur, minime prophetis et antiquioribus poëtis obſecuti ad illam animi magnitudinem, quae in magnis et admirabilibus ſententiis ſponte ſua partis cernitur, animi **) generoſitatem et

---

*) Lib. XI cap. 2. cf.. Cicer. Orat. cap. 23. „Nam orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus."

**) Koenigii Viri Celeb. et Clariſſimi diſſertat. cf. quam ſcripſ. in memoriam anniverſariam *de ſtudio imitandorum ſcriptorum ſapienter regundo:* Nulla, ait, eſt admirabilior ingenii et orationis virtus, quam quae ſublimitate et felici quadam dicendi audacia continetur. At fruſtra nitatur ad illam altitudinem, quam Longinus (cap. IX p. 44 ed. Mor) μεγαλοφροσυνης απηχημα veriſſime dicit, cui natura non tribuerit illud μεγαλοφυες, illam animi magnitudinem et generoſitatem, quae ſponte parit ſententias magnas et admirabiles easque grandi et ſublimi oratione etc.

et magnitudinem non eniti poterant, sed potius gloriolam quandam in perplexa, hyperbolica et obscura oratione struenda ponentes suavem Hebraeae linguae simplicitatem barbaris verbis et immanibus comparationibus contaminarunt, ita, ut eorum sermo, qui nonnunquam vix intelligi potest, in elegantiorum lectorum reprehensionem et fastidium incurrat. Christi oratio contra talis erat, qualem optimi oratores usurparunt et conscripserunt, et naturali quadam pulcritudine tam commendabilis, ut de Jesu verba faciente illud Homericum de Nestore dictum praedicari possit: της και απο γλωσσης μελιτος γλυκιων ρεεν αὐδη. Quos sane sermones Christi pellucidi et sine salebris labentis fluminis instar decurrisse et ab ore ejus fluxisse, quis est, qui diffiteri audeat? Valde igitur differt ejus oratio a Rabbinorum sermone, cujus indolem etiamsi supra identidem descripsimus, tamen ex adlatis quibusdam exemplis melius adparituram esse speraverim. Praecipue cedunt eorum parabolae quoad vividam et poëticam rerum descriptionem parabolis a Christo prolatis, ut haec comparatio Rabbinorum, quam Jesus optime, omnibus ejus mendis emendatis, imitatus est, testatur: (occurrit haec parab. Matth. XXV, 14—30.) R. Jochanan dixit: *si homo uxorem ducit*, et ex ea liberos suscipit, dicitur servus Domini, haereditatemque hoc et futuro seculo cernit, q. d. Ezech. XLIV. 30. Ut benedictionem accersas super domum tuam. Rem simili illustrabimus. Rex quidam dedit depositum tribus suis servis. Primus illud custodivit. Secundus perdidit. Tertius commaculavit partemque illius alteri custodiendam tradidit.

Post aliquod tempus venit, ut depositum suum repeteret. Illum qui custodiverat, rex laudavit et praefectum domus suae fecit. Illum, qui perdiderat, ultimo supplicio adfecit, jussitque, ut neque nomen neque reliquiae ipsius superessent. Tertio, qui id polluerat partemque illius alteri tradiderat, rex dixit: Retinete illum, donec videamus, quid alter facturus sit, in cujus manibus partem depositi reliquit, neque interea e domo mea exeat. Quod si is rem recte tractaverit, huic libertati restituetur, sin vero minus, rex illum poena adfici jussit. Ita vertit SCHÖTTGENIUS p. 217. Quisquis veri pulcrique sensum diuturna cum optimis et solutae et numeris adstrictae orationis scriptoribus familiaritate acuerit, non fieri potest, quin primo tanquam obtuitu hujus fabellae jejunitatem et siccitatem animadvertat. Quamvis consilium adlatae fabulae Judaicae satis laudabile sit, cum liberi cuique patri a Deo crediti, sint illae opes, quas tradidit servis rex, quasque servus primus multa cum officii religione custodivit, alter perdidit, tertius violavit, fabula ipse tamen ita comparata est, ut reprehensionem cujusque critici paulo severioris effugere non possit. Nam mirum sane est, mores regis atque servorum in hac fabula prorsus intactos relinqui, quippe qui commemorati adcuratius ostenderent, num illud judicium a rege de servis latum probandum an rejiciendum quidque omnino de agendi ratione utriusque partis in hac narratione propositae sit statuendum. Non tempero igitur mihi, quin huic fabulae omnem orationis commoditatem et suavitatem abjudicem. Multo plenior profecto, multo ele-

gantior et gravior eſt parabola a Domino audientibus inculcata. Major vis illi jam propterea ineſt, quod ſermo eſt de pecunia, eo conſilio commiſſa, ut ſervi poſſent per eam mercari (ἐργαζεσθαι) nec ἀργυρειον ἐνδον κειμενον, ut Graeci ſolebant dicere, non numeratam pecuniam, habere deberent, ſed quaeſtuoſam, αργυριον εν εργω. His a rege commemoratis, ſervi aut diligentiam, prudentiam et fidem aut perfidium, ſocordiam et ſegnitiem in rebus gerendis demonſtrarent neceſſe erat. Deinde dicit Jeſus, dominum v. 14. τα ὑπαρχοντα αὐτου, facultates ſuas omnes ſervis ſuis crediſſe peregre profecturum. Quae res profecto argumenti gravitatem adauget audientiumque exſpectationem excitat mirum in modum. Mores autem cum domini tum ſervorum unica hac περιστασει praeclare indicantur, quod nimirum paterfamilias crediſſe dicitur ἑκαστῳ κατα την ἰδιαν δυναμιν prout quemque ingenii ſolertia et rerum tractandarum peritia ad foenus exaggerandum, plurimum valere cognoverat. (Vid. Loesneri obſervationes ad N. T. e Philone Alexandrino pag. 57 et 58.) Etenim inde luculenter adparet prudentia heri et diverſum ſervorum ingenium ac fides diverſa. Perſonae, quas Jeſus ſervis induit, cujusque moribus et animi naturae bene accommodatae ſunt praeclareque ab omnibus ſuſtinentur. Peritia domini vero praecipue in eo cernitur, quod vere illud evenit, quod de priorum ſervorum ingenio et diligentia ſperabat. Tertii ſervi mores ita deſcribuntur, ut ipſi moroſa quaedam ruſticitas et animus a domino ſuo alienus tribuatur, qui, cum ei optime conveniat, inprimis memoratu dignus eſt. In adlato exemplo

Rabbinico ejusmodi res parvas adjectas, quae parabolam Domini non modo illuminant, verum etiam, variis condimentis multifariam ſparſis, ſuaviorem et pleniorem efficiunt, proh dolor deſiderabis. Quanto igitur quoad vividiorem rerum deſcriptionem et aptiorem parabolae Chriſti anteferendae ſunt narrationibus parabolicis Rabbinorum! nam illius ejusmodi orationibus omnes illae virtutes competunt, quae huic dicendi generi ineſſe debent. Etſi ſane verendum ſit, ne quem multi, qui in theologicarum literarum campo decurrere coeperunt, ex bonorum ſcriptorum lectione verae pulchritudinis ſenſum et haud depravatae orationis candorem traxerunt, is ejusmodi Rabbinicorum ſermonum parabol. lectione nonnihil infuſcetur; hoc tamen, quidquid eſt damni, inſigni parabolarum Chriſti praeſtantia et orationis ſinceritate penſatur. Quam ſupra propoſuimus parabolam Chriſti, eandem alio conſilio exponit Dominus Luc. XIX *), 12—27. Ea eſt etiam valde morata comta novaque gaudet

*) Cf. reſpectu propoſiti hujus fabellae diſſertat. Weissii de more Domini acceptos a magiſtris Judaicis loquendi ac diſſerendi modos ſapienter emendandi: Hujus parabolae propoſitum, inquit, eſt hoc, ut oſtendatur, *quomodo quisque dotibus ſuis uti debeat in propaganda meliori doctrina et in adjuvanda cauſa Chriſti.* Jam cum ingenii dotes animique vires ita augeantur et creſcant maxime, uti fuerint diligentiſſime adhibitae, pereant autem et evaneſcant quaſi, ſi excultae non fuerint; recte pronuntiat Dominus comm. 29. *τω εχοντι παντι δοθησεται και περισσευθησεται· απο δε του μη εχοντος και ὁ εχει αρθησεται απ᾽ αυτου.* Sed quid multa? Incurrit quaſi in ſenſus, quantopere adlatam ſupra ſiccam, ſterilem

venuſtate, quaedam, ut Ciceronis verba uſurpem, verborum ſententiarumque inſignia habens. Cum haec vero nimis a Judaica illa, cujus comparationis cauſa mentionem injecimus, recedat, longum eſſet, eam h. l. examinare. Haec ſane Lucae, ut hoc obiter moneam, fabella de eodem argumento efficta majorem et ſublimiorem redolet vim, antecedente.

Cum vero, adlato hoc exemplo, ſatis nos probaviſſe exiſtimemus, Jeſum loquendo ſemper *) perſpicuitati orationis et ſententiarum ſublimitati et gravitati maxima cum diligentia conſuluiſſe, paucula etiam *de brevitate et ſuavitate orationum ab eo habitarum* moneamus.

---

et ab omni fere parte mancam parabolam Rabbinicam emineat haec Domini narratio, in qua virtutes omnes expreſſae ſunt, quae huic dicendi generi competere debent.

*) Cum anguſtiae hujus libelli prohibeant quominus ſupra plura exempla adferamus, e quibus adpareat, quantopere, ratione perſpicuitatis et vividioris rerum deſcriptionis habita, parabolae Chriſti narrationibus Rabbinicis antecellant, hoc loco unam tantum aliam parabol. Rabbinorum adjicere haud gravamur. (Haec parab. Rabb narratur Matth. VII. 24—28.) *Si quis*, ajunt illi, *opera bona habet multumque in lege didicit*, *is ſimilis eſt homini*, *qui domum ita exſtruit*, *ut inferius ſaxa ponat*, *iis vero poſtea lateres imponat. Licet poſtmodum aquae multae veniant et ad latus ipſorum conſiſtant*, *tamen illa loco movere non poſſunt. Homo vero*, *qui non habet bona opera multumque operae legi dedit*, *ſimilis eſt ei*, *qui inferius lateres collocet*, *iis vero ſaxa imponat: ſi aquae ſenſim tantum adveniunt*, *ſtatim illam evertunt* (cf. Schoettgen. pag. 84—85).

Laudi praecipue nostro servatori ducendum est hoc, ut, quam summam brevitatis curam in toto orationis cor-

---

Sed haec comparatio non satis illustrat, quod illustrandum erat, quia res quae vix fieri possunt, ponit. Namque lateres in istis regionibus raro igne fornacis coquuntur, et, ut apud nos fieri solet, in lapidem durantur, sed constant plerumque argilla ad solem siccata. Jam quis sibi persuasum habuerit, ullum hominem eo temeritatis processurum esse, ut tales lateres, quos aqua cito solvit et diluit, fundamenti loco ponat iisque superstruat lapides? Simulac vero attento animo parabolam Domini inspexeris, primo obtuitu, quam mirabili concentu omnes res narratae conspirent et naturae simplicitati ac veritati respondeant, invenies. *Hanc doctrinam meam, ait, qui audit eique morem gerit, eum comparo viro prudenti, qui profunda fundamenta in saxo posuit* (Luc. VI, 48) *in eoque exstruxit domum suam; quae, delapso nimbo irruentibusque torrentibus et saevienti procella, stat immota, cum rupe nitatur. Contra vero eum, qui haec praecepta mea, quae audit, non exsequitur, similem aestimo homini temerario, qui in arena, in terra ad aedificia exstruenda parum idonea,* (Luc. VI, 49) *construxit domum, quae cadentibus imbribus, saevientibus torrentibus et procellis impingentibus in eam, corruit et lapsa ruinam dat ingentem.* In his profecto nihil inest, cui aut vitae usus, quo teste homines in locis ad ponenda fundamenta parum idoneis aedificant, aut natura, cujus consuetudinem diligentissime Dominus observavit, refragetur. Quam apta vero sit imago ab arena petita, etiam inde patet, quod Latini, aliquem fovere spem irritam significaturi, per proverbium adeo dicunt: eum *in arena aedificare*. Sed sufficiant haec dixisse de discrimine, quod intercedat inter parab. Christi et narrationes parab. Rabbinorum; videat enim necesse est quisque tiro in rhetorica arte, respectu hujus rei, quid distent aera lupinis? —

pore suis partibus et veluti membris apte concinnando, ornatu haud meretricio, sed casto et decenti commendando et coloribus non fucatis, sed veris atque naturalibus imbuendo haberet, eam in singulis quoque ostenderet.

Tantum vero abest, ut illa orationis brevitas ita comparata sit, ut obscuritatem, quam in Jesaiae aliorumque scriptorum veterum operibus haud raro movere solet, sententiis Jesu gravissimis adferat, ut eas nonnunquam intellectu difficiliores illustret, graviores reddat et tanquam corroboret. Quo ipso brevitatis studio non dubium est, quin Christus longe supra Rabbinos et omnes inferioris aevi scriptores, qui vel ingenii, vel aetatis vitio a pristina illa dicendi munditia et castitate nimium quantum descisćentes, non verum illum atque genuinum, sed fucatum orationis cultum consectabantur, emineat. Nam si adcuratius sermones Judaicorum magistrorum perlegeris, in iis summam loquacitatem usurpatam esse, ita, ut non tam eloquentia, quam loquentia, quae, ut est apud Plinium, *etiam impudentissimo cuique maxime contingat*, in illis viris fuisse videatur, facile invenies. Qua de causa eorum oratio ita friget, ut δια το σεμνον αγαν non admirationem, sed risum moveat. Inter omnes contra virtutes, quibus Jesu sermones insignes sunt, inprimis laudanda est brevitas eo magis, quo melius in omnibus fere locis dicendi argumento, consilio dicentisque animo aptata est. Nam cum aliud argumentum alium orationis habitum et colorem desideret, vix ferendi sunt Rabbini, qui immemores, quid quamlibet dicendi materiam deceat, quid cuilibet scribendi consilio scribentisque animo consentaneum sit,

L.

parva et tenuia *) fuse, magnifica et grandia breviter ac tenuiter dicant. Quod quidem decori studium, quemadmodum per vitam Christi omnem esse fusum, ita maxime dicendi et docendi rationem ejus rexisse, probe intelligimus. Atque hic loco quodam ex oratione dominica, quae dicitur, utemur, ex quo adpareat, sermones Christi quadam venusta **) brevitate gaudere, quae orationem decoro temperet modo et suis adstringat nervis. Docet Jesus Matthaei VI, 7. non solum, quemadmodum presse ac breviter orandum sit, verum etiam ejus formulae precum, quae ad nostram aetatem pervenerunt, idem inculcant. Ne multa, ait, et inania verba faciatis, gentilium more, qui ventosa et vana loquacitate odiosaque ejusdem rei repetitione diis suis placere nitantur.

Quem in finem vult Dominus comm. 12., adseclas suos orare; *αφες ἡμιν τα οφειληματα ἡμων, ὡς και ἡμεις αφιεμεν τοις οφειλεταις ἡμων — και μη εισενεγκης ἡμας εις πειρασμον, αλλα* etc. Quas precum formulas qui nulla dum cupiditate praepeditus perpenderit, non ille diffitebitur, eas magnam utilitatis commendationem habere, propterea, quod paucis vo-

---

*) Cf. huc dissertationem KOENIGII V. A. de studio imitandorum antiquitatis scriptorum sapienter regundo, qui, non ferendus sit, ait, qui Tragoediae soccos, ut ita dicam, induat, Comoediae cothurnos aptare inepte laboret.

**) Legendae sunt praeter alias, doctissimae commentationes in ADELUNGII libro aureo: *über den deutschen Styl* P. I. p. 190—209. edit pr. et in HUGONIS BLAIRSII *Vorlesungen über Rhetorik und schöne Wissenschaften* P. I. p. 291—301. Vers. SCHREITERI.

cabolis nostri animi acerrimo poenitentiae sensu ducti conditionem depingat.

Nam cum plurimi, quibus peccatorum remissio curae cordique est, non nisi condonando aliorum peccata, veniam culpae, cuius ipsi conscii sint, impetraturos esse, sibi persuasum habeant, haec formula precum animi humani naturae valde accommodata est. Satis notum est, qui peccatorum ab ipsis commissorum meminerint, ab iis prae nimio, quo sese discruciari sentiant, dolore non prodiga adhiberi lingua nec verborum veluti flumen fundi solere. Uno verbulo, orantis mens tantum de animo suo emendando et evitandis, quibus homo obnoxius sit, vitiis cogitans seque spe recuperandae divinae gratiae solans, plura sentit, quam profitetur. Quare Dominus etiam alibi Luc. XVIII, 13. inducit portitorem pudore suffusum et poenitentia perculsum, et, quantus in virtute splendor, quanta in vitiis sit deformitas, sentientem. Ille, defixis in terram oculis, pectus tundens non nisi paucissimis verbis pacem et peccatorum veniam exorat: ὁ Θεος, inquit, ιλασθητι μοι τω αμαρτωλω.*) Quantum igitur virium et pote-

*) Cf. de Rabb. precandi rat. Weisse supra comm. diss. Contra ea vero, inquit, inter Judaeorum doctores, quamvis quidam essent, qui concisas tantum et breves probarent preces; permulti tamen reperiebantur, quibus is, qui quotidie integras novem horas precibus terebat, celebrandus summis laudibus videretur. Hi igitur longe aliam atque Dominus precandi rationem consectabantur. Etenim petentibus a Deo peccatorum veniam diversissimam ab hac, e Mattheo laudata, praescribunt formulam, in qua per plures ambages,

ſtatis lucrata ſit Rabbinorum loquendi, docendi et precandi conſuetudo unico hoc emendationis praeſidio, vix verbis exprimi poteſt. Alius locus, qui, etiamſi non precandi formulam praeſcribit, tamen luculenter demonſtrat, quemadmodum brevibus periodis vincienda ſit oratio, ſcriptus legitur in XXV. Matth. ſtatim ab initio quique a nobis jam ſupra obiter eſt commemoratus. In hac parabola confertur regnum caeleſte (βασ. του Θ.) cum virginibus decem ſponſo obviam euntibus, quae, cum ſponſum tempore nocturno adpariturum eſſe, cognoviſſent, lucernas ſecum ſumſerunt. Quinque earum, quae prudentes erant, oleo ſecum ſumto, ſponſo adventuro obviam iturae erant. Quinque vero lucernas adhibuerunt, nullum iis oleum infundentes. Cum paulo poſt ſponſus, media nocte, virgines ſomno ſepultas opprimeret, virgines, quae oleum ſecum ſumſerant, in cubiculum ſponſi admittebantur, eae vero, quae, cum nullum haberent oleum, ſponſo adventante, venditores illud emtum adiiſſent et temporis punctum, quo admitti poſſent ad ſponſum, praetermiſiſſent, clauſis foribus, repulſam ferebant. Finis tanquam et conſilium hujus fabulae tantum admodum paucis vocabulis a ſponſo indigitatur: αμην λεγω υμιν ουκ οιδα υμας. Minime haec concluſio, ut Quinctiliani *) ver-

per innumeras peccatorum, quae omnia ne abjectiſſimus quidem homo committere poteſt, diviſiones ac diſtinctiones, et per ſexcentas faſtidioſas eorundem verborum repetitiones vix ac ne vix quidem ea dicunt, quae Domini brevi gravique formula continentur.

*) Inſtitut. Orat. Lib. I. cap. VI. n. 41. pag. 40 edit. Gesneri. Cumprimis vero huc pertinet loc. e libr. VIII cap. II. n. 22. p. 266.

bis utar, est in longum dilata. Nonne multi alii oratores hoc loco in eo elaborarent, ut causas repeterent, cur sponsus virgines stultas quinque exclusisset, aut admodum longa et prodiga oratione totius fabellae consilium illustrarent? Sed Jesus praecipue brevitatis cujusdam venustae et gravis curam habebat, ut fastidio occurreret, quod facillime obrepit easdem sententias dictionesque iterum iterumque recoctas legenti; omnia enim, licet optima et jucundissima, nimis usu et crebra repetitione trita sensim obsolescere solent. Et hac formula brevi αμην λεγω ὑμιν ουκ οιδα υμας profecto finis et momentum tanquam parabolae, admodum rhetorice est expressum. Cum vero angustiae hujus libelli impediant, quominus alia exempla, ex quibus demonstrari possit brevitas orationis Jesu, adferamus, hanc orationis a Christo adhibitae virtutem excipiat necesse est alia eademque ultima explicanda.

Cum Dominus ingenue et palam, se gravissimarum rerum scientiam ab ipso patre accepisse, profiteretur, eum semper suas sententias oratione, quae majestate Dei O. M. digna esset, vestivisse, non est, quod dubitemus. Nam quid sublimius, quid magnificentius cogitari potest, quam ex ipso Deo discere, quae docenda sint, quam singulari et extraordinario modo a Deo institui? Ὁ πατηρ, ait Joh. V. 20. φιλει τον υιον, και παντα δεικνυσιν αυτῳ. Alibi Jo. VI, 46. XIV. 9. usurpat formulam ὁρᾳν τον πατερα et Jo. VII, 29. ειδεναι τον αληθινον, ut significet, se penitus perscrutatum Dei naturam et ejus consiliorum esse participem. Horum locorum obiter tantum hic mentionem injeci, quae demonstra-

rent, omnia, quae Jesus docuerit, a Deo O. M. profecta esse. Quo praestantiores igitur res erant a Patre ipso patefactae, eo majorem noster Servator operam dedit, ut eas suaviter et verecunde traderet et phantasia, insigniter adfecta et agitata, animos audientium ad suam voluntatem regeret. Nam tum demum virtutes orationis supra jam commemoratae omnem suam vim exserere poterunt, cum suavitate et oblectamentis pictae linguae variis conditae fuerint. Quis nescit oratores antiquitatis praeclarissimos saepissime tali oratione, quae dulce secum adferret oblectamentum, civium animos vel invitos ad officia praestanda et res arduas gerendas inflammasse? Nonne Alcibiades tantum oris suavitate et oratione variis eloquentiae luminibus jucunde decorata, saepe populi animos in ipsum exacerbatos sibi reconciliabat et reconciliatos verbis perstringebat gravissimis, sed ita, omnem ut acerbitatem manifestae benevolentiae tanquam condimento mitigaret, quo offensiculam, si forte susceptam, suaviter abstergeret?

Utrique Jesus licet genus dicendi tenue et simplex, quippe quod ad docendum maxime est idoneum, prae ceteris adamaverit, a pedestri oratione vero Isocratis *)

*) Quatenus pulcritudo orationis cum ejus simplicitate conjuncta sit, optime demonstravit Morus in eruditissima defensione narrationum N. T. quoad modum enarrandi, cf. ejus dissert. theoll. et philoll. p. 39—41. Sectae Stoicae de hac re placitum, cui nempe nihil esse obscoenum, nihil turpe dictu, et τὸ πρέπον in oratione consistere tantum videbatur in λέξει οἰκείᾳ τῷ πράγματι vid. Laert. in

μυροθηκιον adeoque sollicite quaesita jucunditas et diligenter elimata concinnitas longissime abesse soleant; nihilo tamen secius etiam in hoc genere dicendi minime suavitatem esse negligendam, sibi persuasissimum habebat. Cum igitur, hac virtute in dicendo adhibita, orationes suas tanquam omnibus suis numeris expleret, sententiam quam Horatius canit de arte poëtica vers. 343—344. vehementer adprobavit:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando, pariterque monendo.

In conjungenda hac utraque orationis virtute a Flacco his in versibus commemorata, Dominum doctoribus Judaicis multo fuisse feliciorem, sexcenta sunt documenta. Jesus semper, abstersis ab ipsius sermone rebus omnibus obscoenis et turpibus, in quibus potissimum sibi Rabbini placebant usurpandis, festivus, elegans et jucundus in dicendo est, ita ut sane dubium sit, servatorne noster a teneris jam ad majorem urbanitatem et elegantiam acueretur. Ut mea sententia magis elucescat, conferenda est montana oratio a Jesu habita, statim ab initio et potissimum locus in ea obvius ubi Jesus orationi in consolandis hominibus, qui omnia ad vitam

vita Zenonis p. 472. edit. Col. bene exponit Cicero Epist. libr. IX ep. 22. Platonis tamen verecundiam sibi reservat; causas vero, cur ea sit exercenda de offic. L. I. c. 35. acute constituit. Ceterum dignus est, qui conferatur Bergerus de naturali pulcritudine orationis passim inprimis p. 365—367.

ſuſtentandam neceſſaria anxie curent, conſolandis ſuavitatem ex quarundam rerum in natura univerſa ocurrentuim deſcriptione depromtam adſperſit. (Matth. V. 1 — 8 VI, 24 — 34). Jeſus Matth. VI, 24 — 34, quam Rabbini invenerunt comparationem, eandem adhibet, multo elegantiorem vero verborum delectum ei inſerens, ut exemplum adnotationibus ad calcem *) hujus paginae ſubjectis adpoſi-

*) Cf. Weisii diſſert. ſupra commemorat. pag. 24. qui nonnullorum Rabb. turpuſcule dictorum mentionem facit: Rabbini igitur turpuſcule ita dicunt: *Sedet deus S. B. et nutrit inde a cornibus unicornuum, usque ad ova* כינים *pediculorum vid.* Schöttgenius *pag.* 104. Quis vero eſt, cui non placeat res eadem, hunc in modum a Domino expreſſa: *contuemini aves aëreas, quae non ferunt, nec metunt, nec in horrea colligunt et a ſupremo patre tamen accipiunt nutrimenta.* Matth. VI. 26. Nonne eſt, immunde crepare et omnem pulcri ſenſum tanquam ejurare, ſi, in illuſtranda doctrina, nihil non eſſe deo cognitum, Judaei magiſtri hoc modo mentem ſuam declarant: *novit deus etiam haec, ſi quis praeſente, ſed inſcio ſocio ſuo, pediculam interfecit.* Cf. Schoettgen. *pag.* 50. Contra ea vero quam digna numine ſummo, et quam gravis eſt domini vox: ο πατηρ σου βλεπει εν τῳ κρυπτῳ Matth. VI. 4. Cui, quaeſo, viro ingenue liberaliterque educato honeſtae videbuntur nugae, quae ſequuntur: Calcaneum mulieris adſpiciens eſt, ac ſi cum ea coiret. Intuens vel in minimum digitum foeminae eſt, ac ſi intueretur in locum pudendum; leg. Lightfoot. p. 272. Doctrinam, quam his dictis Judaeorum doctores voluerunt proponere, etiam expreſſit Dominus, veruntamen ita, ut abſit omnis illa verborum licentia atque turpitudo. Si quis, inquit, cupide ſpectaverit uxorem alienam, et cum conſilio ea potiundi is, quamquam adulterium vere non commiſit,

tum ſatis teſtatur. Quae vero res cum tam late pateat, quam quae his paucis paginis adcuratius examinari, multo minus abſolvi poſſit, denique tantum hoc addere liceat, Jeſum orationibus parabolicis ab ipſo habitis de religione ſua propaganda optime meritum fuiſſe. Nam etſi ille a praeceptoribus artis rhetoricae minime didicerat, quomodo vel fundenda ſit oratio, vel periodis artificioſis vincienda, quomodo eleganter ad ſequentia progrediendum, quibus vinculis ſingulae partes atque membra apte colliganda, qua numerorum ſuavitate auribus commendanda et quae ſunt alia his ſimilia: tamen ejus oratio bene conſtructa, venuſta et elegans erat, ita, ut omnes liberalioris ingenii homines ſibi devinciret devinctosque ad veram dei cognitionem adducens ad omnem virtutis habitum informaret. Quantum commodi vero a Jeſu et Apoſtolis oratoribus in totum humanum genus redundaverit, nos in tertia hujus ſcriptionis particula, data occaſione, paucis explicaturi pergemus.

---

tamen reus habendus eſt. Matth. V. 28. Nam το επιθυμησαι idem eſſe, quod turpiter amore, illicitam venerem quaerere etc. Albertus, Elsnerus et Raphelius ad hunc locum abunde demonſtrant. Sed ſufficit, haec attuliſſe.

CORRIGENDA:

leg. pag. 13. ad not. ad calcem subj. linea 5. γιγνεσθαι.
— — 14 — — — — — — 4 αζογγαι. et lin. 22 Multi.
— — 17 lin. 30 *poeticae.*
— — 23 — 14 *fortasse.*
— — 30 — 24 *conjunctione.*
— — 37 — 14 *oculos.*
— — 37 — 26 *delectus.*
— — — — 30 ἀμην λεγω.
— — 38 — 21 *admiscuisse.*
— — 55 — 4 *Scriberet.*
— — — — 4 post voc. ille: comma.
— — — — 10 — — imaginum: comma.
— — — — 15 — — poëta: comma.
— — — — 22 — — sit: comma.
— — 62 — 6 — — seriem: comma.
— — 62 — 9 — — pro redundaverint: *contulerint.*
— — 63 — 20 — — post petitam deleas: comma.
— — 64 — 3 — — ante aprico: comma.
— — 65 — 17 — — post imbueret: ?.
— — 67 — 13 — — ante porro: comma.
— — 70 — 4 — — *Tyrtaeum.*
— — 72 — 16 — — ante *si:* comma.
— — 76 — 2 — — post *illum;* comma.
— — 77 — 15 — — post δυναμιν: comma.
— — 79 — 16 — — ante *quominus:* comma.
— — 80 — 4 — — post res: comma.

Etsi multa alia menda a typographo potissimum in dispungendis orationis membris admissa irrepserunt: tamen propter hujus libri angustias non haec adspergere licuit.